(Aristophanes)
Ranke

Zu

den Schul-Feierlichkeiten,

welche in

dem Königlichen

Friedrich-Wilhelms-Gymnasium,

Montag, den 30. September d. J.,

Statt finden werden,

ladet ehrerbietigst ein

der

Director Ranke.

Inhalt:

Berlin, 1844.

Gedruckt bei A. W. Hayn.

C. Ferdinandi Rankii de Nubibus Aristophanis ad Leopoldum fratrem epistola.

Mirarisne, frater dilectissime, quod de eximio illo veteris aevi monumento, de quo nuper propter Rotscheri Tui librum Thucydideum saepius inter nos disseruimus, nunc litteras hasce meas accepisti? At quanto Te amore amplectar nosti meministique eorum temporum, quorum ego saepissime nec sine summa laetitia recordor, quibus puerulo mihi sermones Tuos avidissime arripienti Homerica heroum certamina enarrabas et primus omnium studiis antiquitatis dulcissimis ac vera voluptate affluentissimis me imbuebas. Ambulabamus eo tempore in oppiduli finibus, parvi illius quidem et ab omni hominum frequentia remoti, sed iucundissimi simul et amoenissimi, ubi in sinu et gremio parentum carissimorum primos pueritiae annos degebamus. Tu e schola Portana veneras, ut parentes, fratres, sorores, quorum iam tum summo amore fruebaris, viseres, mox fratrum Tuorum in omni genere virtutis dux futurus, consiliorumque iis optimorum auctor et diligentiae in litteris ponendae tam exemplo quam oratione suasor et adiutor. Ne mirare igitur, sed scito, vel de litteris antiquis, quibus Tu quidem a prima iuventute totum dedisti animum, et ad quas rediturus es, si quando per ea, quae de recentiorum temporum historia commentaris, Tibi licuerit, cum nullo me homine libentius, quam Tecum colloqui. Audias igitur velim, quae de Aristophanis Nubibus dicenda habeo eaque, quam fratri semper exhibere soles, humanitate et comitate de singulis iudices.

Comicae poesi, qualis apud Atticos Aristophanis aetate florebat, unum semper idemque erat argumentum propositum, civitatis status et conditio. Quo quidem in argumento Aristophanes ita versari solebat, ut aliquam urbis partem, quae laborare ipsi prae ceteris et in perniciem ruere videbatur, tota vi facetiarum ingeniique acie in scena exploderet, simul vero occasionibus oblatis uteretur, quibus reliquos etiam civitatis mor-

bos patefaceret et si qua iis medela afferri posset, eam pro virili monstraret. Hinc quaevis eius comoedia, licet unam rem singularem risui exponat, tamen animum audientium ad totius civitatis incommoda convertit. Itaque quoniam in unaquaque civitate res duae potissimum considerari possunt, quarum altera publica est civium vita, altera privata: hanc utramque diversis in carminibus poeta vividis coloribus depinxit, sed ita, ut ubi rem publicam exagitabat, ut in Equitibus, simul privatam aequalium vitam attingeret; ubi contra privatam vitam peculiari carmine ridebat, ad publicam vitam omnia referret. Nubes Aristophanis privatam potissimum vitam spectant. Quicunque enim in scenam prodeunt, Strepsiades, Phidippides, Pasias, Amynias, Socrates eiusque discipuli omnes, civitatis ratione nulla habita, suas quisque res exiles plerumque et ut poetae videbatur, strenuo studio indignas, summo ardore persequuntur. Qui si quando patriae nomen usurpant, tam ridicula simul et prava ratione mentionem eius iniiciunt, ut inde vel maxime singulorum perversitas cognoscatur. Ita Pasias, aeris alieni caussa, quod Strepsiades contraxerat, hunc adire coactus, his verbis animum confirmat, 1201 Bekk.

> *ἀτὰρ οὐδέποτέ γε τὴν πατρίδα καταισχυνῶ*
> *ζῶν, ἀλλὰ καλοῦμαι Στρεψιάδην.*

Sed reliqui omnes quanquam in plurimis rebus dissimillimi sunt, in hac una tamen prorsus conveniunt, quod salutis patriae immemores finguntur.

At quae ab Aristophane vitae privatae inter Athenienses imago adumbrata est, ea terret legentium quorumlibet animum efficitque, ut haud raro huius comoediae ratio naturam tragoediae induat; ut plorare statum hominum fragilem et caducum, quam cum Aristophane ridere malis; ut denique infelicissimum ea aetate Atheniensium populum putes, qua virorum vere egregiorum innumerabilis paene multitudo ex urbe immortali exorta est totumque fere orbem terrarum luce sua collustravit. Summa vero rei, si Aristophanem audimus, in eo cernitur, quod quae sanctissima olim morum optimorum sedes et magistra fuerat, domus et familia, ipsorum parentum culpa a prisca virtute et disciplina degeneraverat. Strepsiades enim senex, Phidonis agricolae diligentia et parsimonia in re familiari administranda excellentis filius, uxore ex generosa domo ducta, patrimonia sua profuderat et aere alieno oppressus, quoniam honesti rationique consentientes rei quaerendae modi nulli patere videbantur, ad turpem viam delapsus erat et de fraude creditoribus inferenda cogitabat. Adeo vero erat officiorum suorum legumque civitatis immemor, ut filium corrumpere non vereretur, et huius artibus ac dolis se e malis expedire vellet, cuius insanum equorum studium auctoritate et potestate patria coercere non potuerat. Quid autem de matre dicam, quae iam a prima infantia puerulum, ut patri non obediret, instigaverat? Phidippides igitur, infelicissimos parentes nactus, a matre luxuriae ignaviaeque dedita corruptus, maiorum a diligentia in agro co-

lendo posita ad nobilium iuvenum otiosa negotia traductus erat, omnemque patris amorem et reverentiam exuerat, cuius sordes rusticae etiam obesse maternae nobilitati videbantur; a patre vero in summam inopiam redacto magistris traditus est, qui ignominiosam vivendi rationem omnemque turpitudinem docere ex ipsius opinione consueverant. Ex hac igitur labe undique in adolescentem irruente quum boni nihil oriri potuerit, Phidippides, cuius ingenii facultates a prima pueritia non occultae fuerant, tantos in studiis suis quam celerrime progressus fecit, ut non solum rixaretur cum patre, sed verberibus etiam eum caederet, et quum ille misere laceratus a filio, se in publicum proripuisset, huic ipsi coram omnibus et explicare auderet et persuaderet, patrem a filio verberari iustum aequumque esse. Neque ille matri pepercit, cuius sanctissimum semper apud Athenienses nomen fuerat: quam ipsam quum verberandam esse dixisset, ex poetae mente, summum, quod cogitari potest, flagitium admisit.

Haec omnia vero Aristophanes ita enarravit, ut ab unius crimine multorum aequalium animos disceremus. Nam querelae istae, quibus caussae melioris orator iuventutis institutionem ab antiqua gravitate et severitate ad summam mollitiem prolapsam esse deplorat, per totam urbem hanc pestem ostendunt propagatam fuisse et diffusam. Quae enim fundamenta virtutis fuerant, ars musica et gymnastica, quoniam a pristina simplicitate desciverant, celeriter factum erat, ut pudoris ultima paene vestigia evanescerent, ut res turpissimae summa licentia non occultarentur, sed palam laudarentur, ut immodestia plurimorum et perversitas iam in vultu appareret, ut etiam inter eos viros, quibus civitas regenda erat, vitia horrenda et nefanda scelera vigerent, ut omnes leges civitatis bonique mores corruerent, ut parentum neque amor neque veneratio usquam cerneretur, denique ut impietas erga deos ubique regnaret et omnia vincula, quae immodicae cupiditati antea iniecta fuerant, revelleret.

Tam misera fuit ex Aristophanis sententia privatae Atheniensium vitae ratio! In omnium rerum conversione una modo erat inter cives differentia, quod qui provectiores erant aetate ex antiqua disciplina, quae nullam dicendi artem cognoverat, eloquentiae vi et copia non instructi erant, adolescentes vero recenti magistrorum in urbe versantium sapientia nutriti, disputandi quadam subtilitate excellebant, qua facile fucum illis facere poterant. Neque ad Athenienses solum pertinere videtur, quod Aristophanes enarrat. Ipse enim poeta significat, labem illam latius patere et per totam grassari Graeciam, ubi ait 412.

ὡς εὐδαίμων ἐν Ἀθηναίοις καὶ τοῖς Ἕλλησι γενήσει.

quamquam pleraque omnia ad Atheniensium conditionem referenda sunt.

Hanc autem imaginem non fictam esse ab Aristophane, sed ad veritatem expressam, praeter Platonem, Xenophontem, alios, qui horum temporum indolem saepe attigerunt, docet dilucide Thucydides, qui quae III, 81 de statu plurimarum civitatum

disputavit, ea planissime cum Aristophaneis conveniunt. *Οὕτω*, ait in fine, ***πᾶσα ἰδέα κατέστη κακοτροπίας διὰ τὰς στάσεις τῷ Ἑλληνικῷ, καὶ τὸ εὔηθες, οὗ τὸ γενναῖον πλεῖστον μετέχει, καταγελασθὲν ἠφανίσθη, τὸ δὲ ἀντιτετάχθαι ἀλλήλοις τῇ γνώμῃ ἀπίστως ἐπὶ πολὺ διήνεγκεν· οὐ γὰρ ἦν ὁ διαλύσων οὔτε λόγος ἐχυρὸς οὔτε ὅρκος φοβερός, κρείσσους δὲ ὄντες ἅπαντες λογισμῷ ἐς τὸ ἀνέλπιστον τοῦ βεβαίου, μὴ παθεῖν μᾶλλον προεσκόπουν ἢ πιστεῦσαι ἐδύναντο, καὶ οἱ φαυλότεροι γνώμην ὡς τὰ πλείω περιεγίγνοντο, τῷ γὰρ δεδιέναι τό τε αὑτῶν ἐνδεὲς καὶ τὸ ἐναντίων ξυνετόν, μὴ λόγοις δὲ ἥσσους ὦσι καὶ ἐκ τοῦ πολυτρόπου αὐτῶν τῆς γνώμης φθάσωσι προεπιβουλευόμενοι τολμηρῶς πρὸς τὰ ἔργα ἐχώρουν, οἱ δὲ καταφρονοῦντες κἂν προαισθέσθαι καὶ ἔργῳ οὐδὲν σφᾶς δεῖν λαμβάνειν, ἃ γνώμῃ ἔξεστιν, ἄφρακτοι μᾶλλον ἐφθείροντο.***

Quae si perpendimus, sine ulla dubitatione nobis affirmare licebit, hanc partem comoediae Aristophaneae, quae est de Strepsiade eiusque uxore et filio, a prima illius spe usque ad domus Socraticae incendium, qua suam ipsius perversitatem ostendit (cf. **Bohtz**, die Komödie und die Komiker, p. 56), ita esse a poeta compositam, ut et consilio ipsius, vitae privatae perniciem in scena traducendi, accurate respondeat, et tristem quidem, sed veritati consentaneam praebeat rerum Atheniensium imaginem. Non sine arte enim initio Strepsiadem facit res suas omnes diligenter enarrantem, ut non angustiis solum, quibus premitur, sed caussis etiam earum perspectis, ad misericordiam animum nostrum revocatum sentiamus. Posteaquam vero fraudulentum illud stultumque consilium cepit, licet longe infelicior reddatur, tamen quia ad malas artes confugit, nec iniuria laborat, etiam misericordiam nostram commovere desiit. Possumus igitur senem omni et ingenii acumine et laude virtutis carentem ridentes in Socratis scholam comitari et labores eius et miseriam spectare, in quam incidit, ubi ad disciplinam doctrinamque scholae admissus est. Resipiscentem vero eum filii verberibus et quid necessarium factu fuerit edoctum contra Socratis domum videmus saevire, qua combusta neque aere alieno liberatus est et filium habet etiam peiorem quam antea et patri maledicentem. Ita poeta, ut par est, non praesentium solum, sed etiam futurarum rerum rationem habet, et quem in locum urbs perventura sit, praesagit, si suis maiores natu cupiditatibus indulgere pergant filiosque paene innocentes in perniciem ducant.

Sed hoc iam loco dicendum est, nec Thucydidem loqui de omnibus civibus, nec Aristophanem tam tristem de Athenis excitare velle cogitationem, ut nihil omnino, quod sanum dici queat et praeclarum, superesse dicat. Quare si ita Aristophanis carmen intelligimus, vehementer erramus, ut ex ipsa fabula sequitur. Nam poeta medio hoc in accusationis cursu dulcissima interponit carmina, quibus patriam suam fortibus viris affluentem et amore dignissimam celebrat, et Eleusinia sacra et vere appropinquante Dionysiaca et omnia, quae in deorum cultu fieri solebant, verbis vere magnificis ornat. Neque ulla iudicandi ratio debet a nobis magis aliena esse, quam ea, qua Aristophanes de moribus

optimis et de virtute tamquam sanctissimus philosophus ex artis lege, vel tamquam homo Christianus ex scripturae sacrae limpidissimo fonte verba faciat. Comicus est poeta h. e. risui et facetiis deditus, qui vitae hilaritatem amat ac saepe etiam ad obscoena verba et ioca frigida, quae saepissime ipse reprehendit et vera comoedia indigna esse censet, delabitur, ubi ad risum excitandum necessarium putat; Socratis innocentiam vitaeque sanctitatem Aristophanes ut non induit, ita ne voluit quidem induere.

At si universe quidem his in rebus Aristophani assentimur, eumque de civitatis Atheniensium statu vera praedicasse, et praeclaram vitae privatae imaginem proposuisse censemus: quid est de Socratis persona iudicandum, quem non ex ingenio finxit, ut Strepsiadem, sed ex eorum numero, qui sapientium nomine vocabantur, unum prae ceteris elegit et tamquam stragis illius et ruinae civitatis adiutorem, salibus et facetiis acerbissimis perstrinxit?

Videamus primum, quomodo reliqui comici eiusdem aetatis de Socrate iudicaverint, quorum versus nobis servati sunt. Inter quos Amipsiam primo loco commemoro, qui eum sophistarum choro, quos ille *φροντιστὰς* vocavit, admiscuit et nescio quem his versibus eum alloquentem facit. cf. Mein. fr. com. II. 2, p. 703.

A. *Σώκρατες ἀνδρῶν βέλτιστ' ὀλίγων, πολλῶν δὲ ματαιόταθ', ἥκεις*
καὶ σὺ πρὸς ἡμᾶς; καρτερικός τ' εἶ; πόθεν ἂν σοι χλαῖνα γένοιτο;
B. *τουτὶ τὸ κακὸν τῶν σκυτοτόμων κατ' ἐπήρειαν γεγένηται.*
οὗτος μέντοι πεινῶν οὕτως οὐπώποτ' ἔτλη κολακεῦσαι.

Quanquam igitur de paupertate eius laborumque et malorum tolerantia iocatur, et inutilia eius studia vellicat, tamen simul eum tanquam bonum virum, et ab adulatorum consuetudine alienum laudat, magnumque fuisse inter eum et sophistas discrimen significat.

Longe aliter Eupolis Socratem exagitavit, ap. Mein. II. 1. p. 551 et 553, qui his in versibus,

Μισῶ δ' ἐγὼ τὸν Σωκράτην, τὸν πτωχὸν ἀδολέσχην,
ὃς τἆλλα μὲν πεφρόντικεν,
ὁπόθεν δὲ καταφαγεῖν ἔχοι, τούτου κατημέληκεν,

et odium aperte profitetur et paupertatem ei ac vana et inania colloquia probro et crimini vertit, in aliis vero

Δεξάμενος δὲ Σωκράτης τὴν ἐπίδειξιν, (ᾄδων)
Στησιχόρου πρὸς τὴν λύραν οἰνοχόην ἔκλεψεν

adeo furtum a Socrate admissum esse perhibet. Alii denique, ut Callias ap. Mein. II. 2. p. 739 et Teleclides ib. Euripidis Socratem in tragoediis componendis adiutorem fuisse criminantur, ap. Diog. Laert. II. 18.

Iam si ad Aristophanem animum convertimus, is harum rerum ab reliquis comicis in Socratem coniectarum nullam praetermisit; paupertatem eius et sordes, 416. 835, al.;

laborum patientiam, **363**, **414**, al. simul vero desidiam et ignaviam, quippe quum *ἀνδράσιν ἀργοῖς* eum adnumeraverit **316**; colloquia inutilia et furta ad paupertatem sublevandam admissa, **179**, **856**, **858**; postremo coniunctionem cum Euripide arctissimam, **1371** et artes sophisticas, denique omnia, quae reliqui comici, exagitavit, sed diversa ratione. Illi enim ut oblata occasione obiter Socratem notarunt, ita speciem externam sectati, propriam eius doctrinae indolem prorsus aut ignorarunt aut certe non attigerunt; hic autem eum ex numero sophistarum excerpsit, longeque reliquis anteposuit et propterea non crimina solum illa, a reliquis in Socratem prolata longe accuratius totaque poesis comicae vi et pondere enarravit, sed etiam totius huius rei naturam eiusque cum ceteris civitatis rebus nexum grandi quadam et eximia imitatione explicavit. Hoc unum reputantibus nobis iam concidunt ista, quae saepius audita sunt, infesto fuisse quum Nubes scriberet poetam in Socratem animo privatasque iniurias ab illo acceptas ulcisci voluisse, eumque post aliquot annos cum eodem in gratiam rediisse. Ac praeterea quidquid dixere, ut hoc quoque opus nihil nisi aut invidiae aut nefandae cupiditatis esse istius testimonium ostenderent, quae praeclarissima quaeque maligno dente morderet: id omne opinor iam est radicitus sublatum neque poterit a quoquam futuro tempore defendi, nisi qui comicae artis indole ac natura non accurate cognita et perspecta eas res specie magis, quam veritatis legibus aestimat. Hoc ipsum nuper nemo luculentius demonstravit, quam Bohtzius, qui ut antea tragicam poesin, ita his diebus comicam peculiari libro ornavit, (Ueber das Komische und die Komödie, Gött. 1844) et qualis ea fuerit per omnes aetates et qualis esse debeat, praeclare docuit. Tantum Aristophanes non suscepisset laborem, si Socratem privato odio persequutus esset. Potuisset enim eum, ut Eupolis, uno verbo redarguere et ludibrio habere; ipsum hoc, quod ubi Socratem explosit, eximium simul artis comicae monumentum proposuit, quod unum si servatum esset, immortalem ei gloriam conservasset — habent enim hoc viri, quales Socrates fuit; non fautores solum et amicos, sed hostes etiam et adversarios immortalitatis praemio ornant — maiora eum molitum esse ostendit. Quoque accuratius ipsius fabulam perlustramus, eo celerius apparebit, quae reliqui comici poetae in Socrate reprehenderint, parvi facta esse ab Aristophane; hunc ab omni parte hac in re reliquos omnes superasse.

Iam si tota de Nubibus quaestione missa Socratem primo Aristophanemque inter se comparamus, qualem hunc ex fabulis, quae aetatem tulerunt, illum ex discipulorum amicorumque libris cognovimus: facile ostendi potest, in Aristophane obtrectationem aliquam non dico potuisse nasci, sed paene necessariam fuisse.

Aristophanes enim erat poeta comicus, non sine quodam afflatu furoris illius, quem in eximio quoque poeta Plato requirebat, suaeque arti ita deditus, ut eam in civitate maximi ponderis esse reliquisque omnibus longe praeferri debere putaret. Nam videbatur ille sibi publice quasi constitutus morum custos esse, civitatisque, quacumque via

posset, commodis et saluti consulere et servire debere, cf. Acharnn. 608. seqq. Quae sententia quamquam interdum ab Aristophane exaggerata ac nimis multis et grandibus verbis ornata et amplificata est, tamen ita stetit ei ac per totam vitam constans fuit, ut fere omnibus in fabulis eam repeteret et cetera omnia, quae in urbe essent, extenuaret et abiiceret. Non potuit igitur fieri, ut iis faveret, qui arti comicae nocere posse videbantur. Jam vero si exstabat aliquis Athenis, qui non comicae solum poesi adversabatur, sed omnia huius artis genera, in qua tota Graecorum vita hactenus nisa fuerat, insectabatur impugnabatque, eiusque in locum aliam artem substituere audebat: nasci pugna atrocissima necesse erat. Is autem Socrates fuit, quem poeticae artis expertem si contendimus, nihil novi et incogniti monuisse dicemur. Nullum est huius rei testimonium maius, quam quod in carcere inclusus, ea in arte quaedam lusisse dicitur, in quibus verae poesis ne vestigium quidem apparebat. Sed tota, qua utebatur, vivendi ratio, colloquia illa quotidie cum adolescentibus senibus, mulieribus viris, civibus peregrinis habita, ardentissimum veritatis studium, cui dies noctesque vacabat, vultus ille gravis ac semper idem, nec aut hilaris magis aut turbatus (Plin. N. H. VII. 19, 18), civium emendandorum atque ad optima quaeque incitandorum cupiditas, haec et multa similia docent, hunc quidem hominem suavitatem poesis Graecae, ex parte amatoriae, ex parte acerbitatum plenissimae, non tanti fecisse, quanti usque ad illud tempus plerique omnes aestimavissent. Huius rei Socratem habemus et Aristophanem testes locupletissimos. Socrates enim quum ad poetas se convertisset, ut illis se minus sapientem esse probaret, celeriter cognovit, ut ait Apol. p. 22. c. „(*ἔγνων οὖν αὖ καὶ περὶ τῶν ποιητῶν ἐν ὀλίγῳ τοῦτο,*) *ὅτι οὐ σοφίᾳ ποιοῖεν ἃ ποιοῖεν, ἀλλὰ φύσει τινὶ καὶ ἐνθουσιάζοντες, ὥσπερ οἱ θεομάντεις καὶ οἱ χρησμῳδοί· καὶ γὰρ οὗτοι λέγουσι μὲν πολλὰ καὶ καλὰ, ἴσασι δὲ οὐδὲν ὧν λέγουσι*“. Ita qui sentiebat, facile commovebatur, ut totam hanc artem aut mutatam cuperet aut ex civitate eiiceret. Idque factum esse confirmat Arist. Rann. 1490

Χαρίεν οὖν μὴ Σωκράτει παρακαθήμενον λαλεῖν,
ἀποβαλόντα μουσικὴν, τά τε μέγιστα παραλιπόντα
τῆς τραγῳδικῆς τέχνης·
τὸ δ' ἐπὶ σεμνοῖσι λόγοισι
καὶ σκαριφησμοῖσι λήρων
διατριβὴν ἀργὸν ποιεῖσθαι
παραφρονοῦντος ἀνδρός.

Novus igitur rerum ordo Socrate duce Athenis nasci coepit. Ut enim hucusque ars poetica regnaverat, ita philosophia coepit eius loco hominum animos allicere, occupare, devincire. Non enim casu quodam evenit, ut Socratem arti paternae valedixisse, et Platonem a tragicis carminibus componendis propter philosophiam abstinuisse dicerent: quippe quum nobilissimi quique et ingeniosissimi viri, qui antea ad artem poeticam se contulerant, iam philosophiae operam dare inciperent. „*Σωκράτους παρόντος*“, ait Alcibiades apud Platonem,

τῶν καλῶν μεταλαβεῖν ἀδύνατον ἄλλῳ“ p. 227; idemque affirmat p. 216. „βίᾳ οὖν ὥσπερ ἀπὸ τῶν Σειρήνων ἐπισχόμενος τὰ ὦτα οἴχομαι φεύγων, ἵνα μὴ αὐτοῦ καθήμενος παρὰ τούτῳ καταγηράσω“. Cf. quae collegit Brandisius (Handb. der Gesch. der Griech.-Röm. Philos. II. 1. p. 23.) Ad philosophiam igitur transferri tota artis poeticae inter Graecos vis et dignitas videbatur. Si vero reliqua poesis genera mutari poterant, comoedia antiqua obmutescere prorsus cogebatur, postquam philosophorum studia florere et regnare coeperant. Ita apparet, Aristophanem quum contra philosophiam pugnaret, pro aris et focis certasse, neque nos egere iniuriis ullo citroque illatis, si controversiam inter Aristophanem et Socratem explicare volumus. Nec dubium esse cuiquam potest, cur hoc certamen ad hos potissimum duo viros pertinuerit. Nam inter comicos nullus Aristophane insignior, qui unus in ludicro genere ita semper versatus est, ut res severas agitaret veramque spectaret civitatis salutem. Socrates autem, de quo Aristophanes iam illo tempore maxima quaeque auguratus est, inter philosophos erat princeps, qui unumquemque ad hanc artem non tam admitteret, quam accedere iuberet. Nam quod Cicero dixit, Socratem primum philosophiam devocasse e coelo et in urbibus collocasse et in domos etiam introduxisse, id eo imprimis trahendum est, quod Socrates philosophiam omnibus commendavit, quicunque eius participes esse cuperent, et cum hominibus de plebe non raro de summis philosophiae quaestionibus disputavit. Anaxagoras Periclis amicus et adiutor fuerat. Socrates vero ad omnes ipse accedebat suisque sermonibus fautores parare studuit. Quare quo tempore philosophia doctorum quorundam hominum usu a vita plurimorum hominum remota erat; comica poesis secura esse et tacere poterat: quum ea vero in vitam vulgarium hominum esset introducta, metus nascebatur, ne ea florente poetica ars dignitate sua privaretur. Ita, credo, ne potuisse quidem Aristophanem, antequam Socratica philosophandi ratio Athenis cerneretur, caussam huius rei coram Atheniensibus in scena agere. Ex Anaxagorae doctrina si quae emanaverunt, quae deorum cultum tollebant: Socrates contra semper publice disseruit neque cuiquam, quae dicenda habebat, occultavit, ita ut omnes eum nossent, cum eo disputassent, eius sermonum testes ipsi fuissent. Obscurum aliquem hominem neque omnibus notum in scena producere, ridiculum fuisset; virum contra quotidie in hominum coetu versantem, de quo iam multi rumores per totam Graeciam exierant, non sine aliqua spe ridendum proponere poterat.

Praeterea vero Aristophanes comoediam voluit totam cum civilibus rebus esse coniunctam ideoque nostra aetate saepe laudatus est, a Socrate vero multas ob caussas dissensit. Is enim primum homines aetatis suae ideo accusare consueverat, quod si unius rei cognitionem vel facultatem aliquam nacti essent, de omnibus rebus recte se iudicare posse censebant. „Διὰ τὸ τὴν τέχνην“, ait apud Plat. in Apol. p. 22. d. „καλῶς ἐξεργάζεσθαι ἕκαστος ἠξίου καὶ τἄλλα τὰ μέγιστα σοφώτατος εἶναι· καὶ αὐτῶν αὕτη ἡ πλημμέλεια ἐκείνην τὴν σοφίαν ἀπέκρυπτεν“. Aristophanes igitur, si Socratis sententiam

audire voluisset, in carminibus suis a rebus urbanis et ad totius civitatis utilitatem spectantibus abstinuisset, idque iis reliquisset, qui huic studio per totam vitam se tradidissent. Ut igitur in Platonis convivio cum Socrate de tragica et comica poesi disputat, quia hoc utrumque poesis genus unius ille eiusdemque viri opus esse censuerat, ita etiam de principio artis suae aliter iudicabat. Deinde vero forma civitatis, quae comicam artem pepererat, ea erat, quam democraticam vocant. Huius nimiae licentiae uterque quidem, sed diversis ex caussis adversabatur, ut hac quoque in re diversas in partes abirent. Si enim Socratis vicisset sententia, nullo modo florere potuisset ista quidem comoedia, sed simul cum turbulento urbis statu evanuisset. Denique totus hic nexus comoediae cum civitate illud etiam effecit, ut ea propterea contra philosophos pugnaret, quia a rebus civilibus ad doctrinae studia transierant et otiosam, ut comicis visum est, vitam degebant. Qua in re sequebatur Aristophanes iudicandi rationem ista aetate vulgarem. Quos enim publicorum negotiorum expertes esse videbant, eos inutilium civium in numero habebant reprehendendosque et contemnendos existimabant. Neque enim eam exceptionem probabant, si quis sapientiam profitebatur vel arti rhetoricae docendae vacabat; quum praesertim Thales et qui huius aetate immortali sapientium nomine ornati fuerant, mediis vixissent in rebus publicis et civitates saepe aut regendas aut certe consilio adiuvandas suscepissent. Ita Socrates quoque, quanquam rei familiaris adaugendae ut qui maxime incuriosus, inertiae desidiaeque crimen non evitavit, sed ab Aristophane civium inutilium in numerum relatus est.

Deinde comica poesis Aristophanis diis indigebat ad hominum similitudinem fictis, quales illi erant, quos Homerus primus et Hesiodus ostenderant, de quibus Xenophanes ait, ap. Sext. Emp. adv. Phys. I, 193:

πάντα θεοῖς ἀνέθηκαν Ὅμηρος θ' Ἡσίοδός τε,
ὅσσα παρ' ἀνθρώποισιν ὀνείδεα καὶ ψόγος ἐστὶ
κλέπτειν, μοιχεύειν τε καὶ ἀλλήλους ἀπατεύειν.

Nam quum in risu undique hauriendo comoedia occupata esset, ne diis quidem illa parcere potuit; sed eos ipsos pro licentia illorum temporum habitu ridiculo conspicuos, sermonibus comoediae aptis utentes, hominum more vitiorum omnium labe commaculatissimos in scenam produxit. Actum fuisset profecto de maxima clarissimaque parte facetiarum comicarum, si deos tales esse, quales Socrates docebat, Athenis credidissent. Qua enim ratione auctore Socrate scribi potuissent, quae in Nubibus 608 seqq. leguntur, ubi deos victimarum nidori inhiare eaque spe deiectos indignantes demum rediisse comperimus?

Idem fere dicendum est de parsimonia et paupertate Socratis, de decori in verbis studio, de iocandi genere ad homines refellendos parato, immo de tota eius sentiendi cogitandique ratione. Haec si in populo invaluissent, nulla lex necessaria fuisset, qua

licentia comicorum cohiberetur; cito enim ipsa ars aut macie quasi quadam confecta extabuisset, aut ab omni parte esset immutata et in aliam formam redacta.

Certamen igitur inter Socratem et Aristophanem ortum ex utriusque viri indole ac natura facile explicatur, nec potuit diu aut latere aut reprimi, quoniam ipse Socrates dei iussu, ut dicere solebat, coactus poetas et tragicos et comicos adibat et explorabat, iuvenumque et senum plausu excipiebatur. Nullo autem tempore maius erat periculum, quam quo Chaerephon Apollinis oraculum, quo Socrates sapientissimus omnium appellatus erat, domum retulerat: cuius responsis quum plebs confidere soleret, fieri facile poterat, ut Socratis auctoritas inde ab hoc tempore plurimum cresceret. Quanquam profecto permirum est, quod Athenienses, qui propter pietatem in deos servandam tot philosophos ex urbe eiecerunt, non ipso Apollinis iudicio commoti sunt, ut iustius de Socrate iudicium facerent.

Itaque effectum est, ut omnibus privati odii et singularis acerbitatis caussis sublatis, Aristophanem ex animi sententia firmissima et constantissima contra Socratem pugnare potuisse intelligamus. Eum enim coercere, qui vim ipsius infringere et res Atheniensium aliam in viam ducere videbatur, erat profecto munus eius, qui sine timore Herculis ritu maxima quaeque prodigia et monstra se aggressum esse gloriatur. Ac simul patefactum est, quantum inter Aristophanem et reliquos comicos discrimen intercedat. Cratinus enim, Aristophanis obtrectator, Hipponem philosophum paene ignotum irriserat, quem Aristoteles propter exilitatem ingenii contemnit; hic autem Socratem in scena traduxit, qui novarum rerum Atheniensibus auctor exstitit et nomen immortale remotissimae tradidit posteritati.

Exorta igitur obtrectatione inter Aristophanem et Socratem, quid ille potuit suscipere, ut pericula ex huius vivendi ratione in comicam artem totamque, ut ipse quidem putabat, in civitatem redundantia reprimeret?

Comicorum poetarum arma nulla sunt, nisi lepores lususque, quibus maculas notasque hominibus inurunt, quae penitus in eorum nomine insident atque inveterascunt, ridiculosque eos faciunt, quos odio et invidia persequuntur. Idque vere factum esse, in Socratis apologia Plato enarravit, quum dicentem philosophum faceret p. 18 B. „*ἐμοῦ γὰρ πολλοὶ κατήγοροι γεγόνασι πρὸς ὑμᾶς καὶ πάλαι πολλὰ ἤδη ἔτη, καὶ οὐδὲν ἀληθὲς λέγοντες· οὓς ἐγὼ μᾶλλον φοβοῦμαι ἢ τοὺς ἀμφὶ Ἄνυτον, καίπερ ὄντας καὶ τούτους δεινούς· ἀλλ' ἐκεῖνοι δεινότεροι, ὦ ἄνδρες, οἳ ὑμῶν τοὺς πολλοὺς ἐκ παίδων παραλαμβάνοντες, ἔπειθόν τε καὶ κατηγόρουν ἐμοῦ οὐδὲν ἀληθές· ὡς ἔστι τις Σωκράτης, ἀνὴρ σοφός τά τε μετέωρα φροντιστὴς καὶ τὰ ὑπὸ γῆς πάντα ἀνεζητηκώς, καὶ τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιῶν, οὗτοι, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ταύτην τὴν φήμην κατασκεδάσαντες οἱ δεινοί εἰσί μοι κατήγοροι.*" cf. p. 19. C. Idem Xenophon in Convivio cap. 6 affirmat, ubi Syracusanus Socratem illudens ex Aristophanis Nubibus tela omnia petiit: „*Ἆρα σύ, ὦ Σώ-*

κρατες, ὁ φροντιστὴς ἐπικαλούμενος; — εἰ μή γε ἐδόκεις τῶν μετεώρων φροντιστὴς εἶναι. — ἀλλ' οὐ μὰ Δί' ἔφη, οὐ τούτων σε λέγουσιν ἐπιμελεῖσθαι, ἀλλὰ τῶν ἀνωφελεστάτων. — ταῦτα μὲν ἔα· ἀλλ' εἰπέ μοι, πόσους ψύλλα πόδας ἐμοῦ ἀπέχει, ταῦτα γάρ σε φασὶ γεωμετρεῖν. Itaque quae Aristophanes in Socratem luderat, ea per totam philosophi vitam ore hominum ac sermone trita, omnibus, qui vellicare eum et irridere cupiebant, satis largam iocandi materiam praebebant.

Neque tamen mera mendacia ab Aristophanis ingenio exspectabuntur; nihil comicus poterat poeta, nisi id ipsum aggredi, unde obtrectatio nata erat et ex veritate omnia, quibus opus erat, repetere. Dolor enim fictus querelas, quae misericordiam commoveant prudentium, fundere non potest; neque accusatio vim aliquam habet, si quis accusat, qui non ex animi sententia rei alicuius dedecus et infamiam persequitur; itaque nec Aristophanes quidquam magni effecisset, neque ad persuadendum apte locutus esset, nisi vere ipsius mentem opinio inveterata de Socratis culpa invasisset. Itaque in peius quidem omnia detorsit, ut risum inde captaret, et adversarium facetiis adspergeret, sed pleraque omnia ad vivum exprimere voluit, ac re vera multa tam praeclare imitatus est, ut ipsi Socratis defensores et amici vim comicam veritatemque agnoscere cogerentur.

Hac ratione, frater dilectissime, si ad Nubes accedo, videor mihi omnem iudicii iniquitatem fugere simulque et Aristophanem a nefandis criminibus scelerisque specie et Socratem ab omni indignitate dedecoris liberare. Altera enim ex parte philosophus ad certamen provocat, non vultu non verbis commotus, dei oraculo confisus, virtutis suae sibi conscius, nullo neque mortis neque infamiae metu perterrefactus, neque comicorum artes et fallacias fugiens, licet illi cum Horatio clamarent:

at ille
Qui me commorit (melius non tangere clamo)
Flebit et insignis tota cantabitur urbe.

Altera ex parte Aristophanes animo paratissimo ad pugnam se confert, qui iam primores populi arripuerat populumque tributim, audaciamque philosophi reprimere conatur, cuius ex sermonibus multa iam prodierant et proditura esse videbantur, quae urbis ipsius saluti nocere possent artemque comicam evertere. Quod qua ratione instituerit, iam accuratius videndum est.

Est haec Aristophanis in arte comica felicitas, quod ipsum nomen fabulae spectantium animos mediam rerum in seriem ducit. Primam partem comoediae si legimus, versari nobis in vulgari quadam fabula, sollerter quidam excogitata, sed a reliquorum comicorum operibus haud multum diversa videmus. In scholam vero Socratis intrantibus iam alia occurrunt, splendidiora nec risum excitantia solum, sed etiam ingenii aciem ad res severas advertentia, praesertim ubi Socrates ad res divinas transit, de Nubibus, deabus

suis, quas solas veneratione dignas ait esse, loqui incipit easque ipsas precibus suis allicit, ut in scenam veniant.

Age igitur quae sit illa Aristophanis de Nubibus fabula accuratius videamus.

Antiqua fuit Graecorum consuetudo, rebus mutis et inanimis, sed ut illis videbatur, aeternis divinum nomen honoremque tribuendi. Terram et coelum, solem et lunam, fluvios et montes, diem et noctem illi pro numinibus habebant. Docet igitur Aristophanes nubes quoque, quae in aere moveantur, neque firmi quidquam et constantis habere videantur, deos et ab hominibus summa veneratione colendos esse. Nubibus iam dudum usa fuerat poesis epica et lyrica, ac posterior imprimis ita haud raro, ut vitam iis tribueret, cf. Aristoph. Nub. 335. non aliter atque Pindarus, qui imbres *παῖδας νεφέλας* nominaverat Olymp. 11, 3. cf. Pyth. 6. 11. Ol. 7. 62. Nota vero etiam de Ixione fabula Pind. Pyth. 2, 67. (Pirithoum Lapitham Iunonia ludificat Nubs. Liv. Andron. ap. Serv. ad Virg. Aen. 10, 636); noti etiam Nephelocentauri Nubb. 345. Luc. de vera hist. I. 8. (Nubigenae centauri Stat. Theb. 5, 263 Ov. Metam. 12, 211, 541.) Facilis igitur Aristophani ad Nubium divinitatem transitus et a poetis munitus erat cf. Sen. Q. N. II. 707. Is igitur docet, quae videantur plerisque et ros et nebulae et fumus, deas esse, easdemque pro arbitrio quas velint formas assumere, involucra, quibus tegantur, facile removere et immortali facie indutas apparere posse. Patre utuntur Aethere 570. Vita dulcissima fruuntur. Ab Oceano surgunt, gutturniis aureis aquam hauriunt; montes petunt, terram prospectant, in regionibus amoenissimis commorantur, hominum urbibus, imprimis Athenis delectantur: Prodici sapientiam et gravitatem Socratis admirantur; dies festos cum Atheniensibus celebrant; ipsae artem musicam norunt et splendida carmina componunt et canunt. Hinc Aristophanes cultum earum Atheniensibus commendat; queruntur Nubes, quod sacra non accipiant, licet beneficiis aut damnis illatis homines felices aut infelices reddant, quippe quae agricolis aut auxilium ferant aut perniciem parent; fulmine et tonitru populi conciones turbent; signis datis Athenienses admoneant, si quando periculis sese temere obiiciant; reliquorum deorum et Lunae ministrae, nuntios Atheniensibus afferant; malos formis diversis ludant, si quis vero ultro res pessimas sibi praeoptaverit, eum in conatu suo primum quidem adiuvent, sed nullo alio consilio, nisi ut eo acriore supplicio eundem puniant.

Haec sunt illa, quae summum huic comoediae splendorem attulerunt, neque a quoquam sine poetae admiratione perleguntur, qui ubi nihil nisi turpia et ridicula sectari videtur, subito vocem tollit et in cothurnos quasi, ut aiunt, assurgit, spectantiumque animos ad pulcherrima quaeque abripit, ut ipsi non sentiant, quo in poesis genere, in tragico an in comico, versentur. Audiuntur carmina dulcissima; celebratur urbs patria; quidquid habent poetae, ut hominum pectora mulceant et delectent, id omne hac in parte comoediae effunditur.

Duplex vero est Nubium agendi ratio. Nam ubi poeta eas Atheniensibus

commendat, tales finxit, quales descripsimus, sed ita ut lusum eius omnes animadvertant. Simul vero Socratem Socraticamque scholam accusat, quod Nubium veneratione in urbem nefario molimine inducta multa mala ei intulerint reliquorumque deorum cultum a patribus acceptum sustulerint. Ea ipsa iam rerum conformatio, ut idem numen duplex administret munus secumque ipsum non videatur concordare, comicae poesi praeclare convenit, quae ex contrariis sibique adversantibus partibus constat. Nec poterat poeta, dum Socratem accusabat, quod novos deos in civitatem introduxisset, eiusdem criminis ipse particeps esse. Versamur igitur in invento quodam Aristophanis, quod unum si recte intellectum fuerit, pro eximio eius artis testimonio habebitur.

Vulgaris de nubibus opinio quae semper fuerat, ab Ar. indicatur v. 329

μὰ Δί' ἀλλ' ὁμίχλην καὶ δρόσον αὐτὰς ἡγούμην
καὶ καπνόν εἶναι

et 342

εἴξασιν γοῦν ἐρίοισιν πεπταμένοισιν,

quibus Theophr. comparandus est, fr. VI. 1. 13. p. 786 ed. Schneid. „*Καὶ ὅταν νεφέλαι πόκοις ἐρίων ὅμοιαι ὦσιν, ὕδωρ σημαίνει.*“ Significant igitur rem mobilem aliquam, saepe fallentem, vanam, nullo pondere utentem. cf. Bohtz, l. 1. p. 167. Nubes venerari et pro diis habere nihil est, nisi quod Horatius ait (A. P. 230.) „Nubes et inania captare.“ Quare haec est illa Socratis accusatio, quod ut initio diximus, relictis illis Graecorum negotiis et paterna consuetudine neglecta in doctrina tantummodo et sapientia omne studium suum collocaverat et ad rem ab omni parte inutilem et propterea et ipsi et urbi periculosam se converterat, quamquam vel maius est eius crimen, quod non solus talibus rebus operam dedit, sed scholam etiam aperuit, qua eas res non adolescentibus solum, sed etiam senibus, si qui discere cuperent, tradere consuevit.

Apparet igitur, inventionem Aristophanis latius etiam patere, neque esse ex vulgaribus solum Graecorum opinionibus repetendam, sed ad studia doctissimorum illius aetatis virorum referendam.

Nubium enim divinitatem multi Atheniensium agnoscunt. Ait enim Aristophanes v. 330

οὐ γὰρ μὰ Δί' οἶσθ' ὁτιὴ πλείστους αὗται βόσκουσι σοφιστάς,
θουριομάντεις, ἰατροτέχνας, σφραγιδονυχαργοκομήτας,
κυκλίων τε χορῶν ᾀσματοκάμπτας, ἄνδρας μετεωροφένακας,
οὐδὲν δρῶντας βόσκουσ' ἀργούς, ὅτι ταύτας μουσοποιοῦσιν.

Praeter Socratem igitur sophistae primum nominantur, quo nomine Aristophanis aetate non Protagoras, Gorgias, Prodicus et reliqui, quibus illud nomen praeter ceteros nostra potissimum aetate inhaeret, sed omnes significantur, quicunque sapientiae laude florent, sive illi poetae fuerint, sive rhetores, sive artifices. Hinc eos omnes, quos postea com-

memorat, coniunxit, vates, medicos, dithyrambicos poetas, philosophos in coelo et aere perscrutando occupatos, quos ipsos per totam vitam suam in omnibus carminibus explosit et summo studio persequutus est. Qua ratione hos homines diversissimi generis, ut primo haec legenti videbitur, omnes coniunxerit, ipse docet Ar. in Avibus, ubi in simili prorsus fictione ad Aves imperium in deos hominesque transtulit. Quem non admonuit nomen *Νεφελοκοκκυγία*, ut has comoedias inter se conferret, ex eadem prorsus poetae sententia de promptas et simili artis sollertia perfectas? Quos igitur in Nubibus loco supra posito coniunxit, eosdem in Avibus ad urbem illam in aere exstructam properare videmus, ut ibi medias inter Nubes sedes suas et domicilium collocent. Itaque ut h. l. *κυκλίων χορῶν ᾀσματοκάμπτας* a Nubibus ali dixit, ita in Avibus Cinesiam dithyrambicum audimus, haec fere cum Pisthetaero colloquentem, v. 1383—1390

Κι. ὑπὸ σοῦ πτερωθεὶς βούλομαι μετάρσιος
ἀναπτόμενος ἐκ τῶν νεφελῶν καινὰς λαβεῖν
ἀεροδονήτους καὶ νιφοβόλους ἀναβολάς.
Πει. ἐκ τῶν νεφελῶν γὰρ ἄν τις ἀναβολὰν λάβοι;
Κι. κρέμαται μὲν οὖν ἐντεῦθεν ἡμῶν ἡ τέχνη·
τῶν διθυράμβων γὰρ τὰ λαμπρὰ γίγνεται
ἀέρια καὶ σκότια καὶ κυαναυγέα
καὶ πτεροδόνητα.

Neque *κυκλίων χορῶν ᾀσματοκάμπτης* abest, qui quum in urbem venerit, statim de meritis suis ita gloriatur 917—919

μέλη πεποίηκ' ἐς τὰς Νεφελοκοκκυγίας
τὰς ὑμετέρας, κύκλιά τε πολλὰ καὶ καλά
καὶ παρθένεια, καὶ κατὰ τὰ Σιμωνίδου,

et haec postea in urbis laudem praecedentibus similia canit, 950 seq.

κλῇσον ὦ χρυσόθρονε τὰν τρομεράν, κρυεράν.
νιφόβολα πεδία πολύπορά τ' ἤλυθον, ἀλαλάν.

Nihil apertius iam his locis, nisi nubium illarum vim etiam in oratione nimis sublimi et grandi propterea que non raro ridicula, ex Aristophanis mente cerni.

Utroque in carmine vates commemorantur, qui quum auspicia de coelo capere soleant, iis adnumerandi sunt, qui *μετεώρων* curam gerunt. Qui apud nos intelligitur, Lampo, idem in Avibus saepius nominatur 521, 988. Hos igitur, tanquam fraude sibi necessaria vitae parantes, omnes pauperes et mendicos, omnes studiis vanis, inertibus, inutilibus occupatos dicit esse, quibus se mercedis caussa tradiderunt.

Ut autem in Nubibus, ita in Avibus quoque medicos et astronomos, geometras et physicos philosophos commemoravit. Hos enim omnes unum idemque studium rerum coelestium totos ad se rapuit, ut his vacantes nihil praeterea, quod civitati utile esse

possit, suscipiant. De medicis, Ar. nusquam nisi summa facetiarum acerbitate loquitur. Hoc nostro loco ipsa nominis conformatio irrisionem continet. In Ecclesiaz. 363

τίς ἂν οὖν ἰατρόν μοι μετέλθοι καὶ τίνα;
τίς τῶν κατὰ πρωκτὸν δεινόν ἐστι τὴν τέχνην et seq.

in re foedissima medicorum auxilium exoptat. In Pluto v. 406 in Aesculapii templum se mavult ad Plutum sanandum conferre, quam ad medicum aliquem. Eadem ratione Metonem geometram explosit in Avv. 997. Nec dubitare possumus, quin hunc et illos cum philosophis physicis eandem viam ingredi solere eiusdemque prorsus sectae esse crediderit.

Quo iure Aristophanes tot diversos homines iunctim perstrinxerit, ex doctrinae illorum temporum ratione et conditione facile intelligitur. Elucet enim ex omnibus, quae de physica philosophia, de sophistis, de medicis, geographis, geometris, astronomis cognovimus, horum omnium studia ita coniuncta fuisse, ut qui unam harum disciplinarum attigisset, reliquarum etiam non vulgari, sed accuratissima cognitione excellere studuerit. Si enim quae ex Anaximandri, Anaxagorae, Diogenis Apolloniatae, plurimorum aliorum reliquiis supersunt, inter se comparamus, multo maxima pars in astronomicis, medicis, similibusque rebus versatur, ut eorum nomina haud raro in harum disciplinarum historia longe maioris momenti sint, quam in historia philosophiae. Idem valet de viris in medica arte illustribus. Quicunque enim ea, quae ad Hippocratem plerumque referuntur, accuratius inspexerit, facile reperiet, plurima esse ex philosophia physica hausta, studiorumque reliquorum, quae supra appellavimus, in eorum libris multa ubique inveniri vestigia. Ars igitur medica illius aetatis pendet tota e philosophiae ratione. Quae quum ita sint, miratus sum haud raro, qui factum sit, ut philosophiae historiam qui nostra aetate doctissimis libris explicare conati sunt, raro tantummodo scriptores Hippocrateos tanquam fontes huius philosophiae usurpaverint. Multa enim insunt, nisi fallor, quae recte cognita, quid philosophi illi sibi voluerint, accuratius et planius docent, quam paucae istae reliquiae, quae aetatem tulerunt.

Tota igitur aetas illa studio omnia sciendi rerumque caussas indagandi flagrabat veterumque inscientiam et ignorantiam exuere omnem omnibus viribus conabatur. Non mirum igitur esse potest, quod hoc scientiae studium etiam in arte poetica et rhetorica apparebat; quibus qui se dederant, ex illis multorum hominum studiis praeclara argumenta petierunt. Neque immerito. Nam nonne Homeri exemplum splendidissimum sequi poterant, cuius carmina ita comparata sunt, ut aetatem poetae eiusque et in scientia et in arte omni excellentiam legentibus ante oculos ponant? Neque ulla unquam exstitit poesis, quae non multiplici doctrina referta fuerit? Simul enim poetas et delectare et docere debere, omnibus temporibus intellectum est. Neque ipsum Aristophanem, quan-

quam facetiis lusibusque eas res saepe insectatum esse scimus, ab doctrina temporum abstinuisse, postea videbimus.

Socratem iisdem studiis occupatissimum fuisse, ita omnibus notum est, ut demonstratione omnino non egeat. Xenophonti enim, fidelissimo eius discipulo et in omnibus ab eius iudicio pendenti, quis hoc non credat? Ubi enim docet, quid in singulis artibus, velut in geometria, astronomia, arithmetica, medica ab adolescentibus disci Socrates voluerit, Memor. IV, 7: simul adnotavit, ne difficiliores quidem earum disciplinarum quaestiones Socrati incognitas fuisse. Ita §. 3. „*τὸ δὲ μέχρι τῶν δυσξυνέτων διαγραμμάτων γεωμετρίαν μανθάνειν ἀπεδοκίμαζεν· ὅ τι μὲν γὰρ ὠφελοίη ταῦτα, οὐκ ἔφη ὁρᾷν· καί τοι οὐκ ἄπειρός γε αὐτῶν ἦν.*“ Idemque de astrologia §. 5 monuit. De physica vero philosophia rationes etiam Socratis adversus Anaxagorae opiniones propositas attulit. Sed licet Xenophon tale nihil dixerit, tota Socratis vita et doctrina clamant, sciendi eum cupidissimum fuisse, et ad senectutem usque omnes occasiones suam rerum utilissimarum optimarumque cognitionem amplificandi aucupatum esse.

Magnum igitur inter Aristophanis et Socratis iudicia discrimen reperimus. Ille enim pleraque haec studia omnia ab omni parte inutilia et perniciosa esse existimavit, hic contra subtilissimas quidem eorum partes e iuvenum institutione submovendas esse censuit, sed quatenus illae artes aliquem cum vita humanae nexum haberent, retinuit. Certos igitur fines constituit, quibus disciplinarum illarum usum coerceret, quas Aristophanes totas ex urbe expelli maluit. In uno consentire videntur, quod rerum coelestium inquisitionem dissuadent. „*Ὅλως δέ*, ait Xenophon L. 1., *τῶν οὐρανίων, ᾗ ἕκαστα ὁ θεὸς μηχανᾶται, φροντιστὴν γίγνεσθαι ἀπέτρεπεν· οὔτε γὰρ εὑρετὰ ἀνθρώποις αὐτὰ ἐνόμιζεν εἶναι, οὔτε χαρίζεσθαι θεοὺς ἂν ἡγεῖτο τὸν ζητοῦντα, ἃ ἐκεῖνοι σαφηνίσαι οὐκ ἐβουλήθησαν.*“

Haec omnia vero me admonent, ut de physica philosophia, quam Socrates ex Aristophanis sententia iuvenes docuit, accuratius quaerendum esse videatur. Ea enim quum non una temporibus illis, sed multifariam divisa fuerit, quaestio nasci potest, certaene alicuius disciplinae Socratem Aristophanes adscripserit, an ex omnibus ea, quae sibi apta videbantur, excerpserit, an quae Socratis propria erant et ad eum tanquam inventorem relata sunt, protulerit. Id enim si perspectum fuerit, de tota hac quaestione certius iudicium faciemus.

Sed quod ultimo loco posui, esse quaedam allata, quae Socratis propria fuerint, non est verisimile. Consentiens enim est et veterum et recentiorum de Socrate sententia, in rebus physicis parum studii eum posuisse, ut nihil quidquam in ea re aut invenire aut novare aut melius ceteris perspicere potuerit. Quaerendum igitur est, quem potissimum Aristophanes sequutus sit. Qua in re pleriqne ad Anaxagoram confugiunt, praeter gloriam viri nulla alia caussa ducti, nisi quod ille imprimis doctrinam de aethe-

rio turbine, quam Aristophanes pluribus in locis hac in fabula commemoravit, 380, 826, 1241, 1471, 1477, sibi vindicare possit, cf. Suevern, Ueber Aristophanes Wolken, p. 9 seq.; Grothius, de Socr. Aristoph. p. 107. Sed hoc incertissimum primum propterea est, quod alii etiam philosophi eiusdem temporis eandem opinionem amplexi esse dicuntur, ut Democritus, de quo iam Wielandius cogitavit, Att. Mus. II, 3, p. 60 seqq. Deinde, quod summum est, turbinis aetherii memor fuit Aristophanes, ubi doctrinam de fulgure et tonitru motuque nubium explicantem Socratem inducit: ea autem quam maxime ab Anaxagorea sententia differt. Aristophanes enim vv. 373—406 tonitru quidem ex Nubium densitate et vehemente motu, quando multa repletae aqua et invicem in se irruentes rumpantur, repetit; fulmen vero oriri ex vento dicit sicco, sursum sublato et Nubibus incluso, qui postquam intus conceptus, eas tanquam vesicam inflaverit, easdem vi rumpat et dum celeriter propter densitatem nubium extrorsum feratur, stridore et impetu suo se ipse comburat; motum denique nubium ex aetheria conversione deducit, quae ipsa unde oriatur, propterea non quaeritur, quia Strepsiades eam pro deo habet, qui Iovis regnum occupaverit. Anaxagoras autem, (Stobaeo auctore I, c. 30, p. 592) hanc rationem sequutus est. „Ὅταν θερμὸν εἰς τὸ ψυχρὸν ἐμπέσῃ (τοῦτο δ' ἐστὶν αἰθέριον μέρος εἰς ἀερῶδες) τῷ μὲν ψόφῳ βροντὴν ἀποτελεῖ· τῷ δὲ (παρὰ τὴν μελανίαν τοῦ νέφους) χρώματι τὴν ἀστραπήν· τῷ δὲ πλήθει καὶ μεγέθει τοῦ φωτὸς τὸν κεραυνόν." Ex parte haec ab Aristotele confirmantur, qui Meteor. II, p. 369, b. Bekk. „καί τοι τινὲς λέγουσιν," ait, „ὡς ἐν τοῖς νέφεσιν ἐγγίνεται πῦρ, τοῦτο δ' Ἐμπεδοκλῆς μέν φησιν εἶναι τὸ ἐμπεριλαμβανόμενον τῶν τοῦ ἡλίου ἀκτίνων, Ἀναξαγόρας δὲ τοῦ ἄνωθεν αἰθέρος, ὃ δὴ ἐκεῖνος καλεῖ πῦρ κατενεχθὲν ἄνωθεν κάτω· τὴν μὲν οὖν διάλαμψιν ἀστραπὴν εἶναι τούτου τοῦ πυρός, τὸν δὲ ψόφον ἐναποσβεννυμένου καὶ τὴν σίξιν βροντήν." cf. Schaubach fr. Anax. p. 171. Haec igitur sententia minime est ab Aristophane repetita, quippe in qua neque necessitatis locus sit, neque ruptionis neque venti nubibus inclusi, neque densitatis. Permirum autem esset, si Aristophanes in re ipsa enarranda alium, alium in caussa indicanda sequutus esset philosophum. De Anaxagora igitur cogitari nequit, praesertim quum Mentis, quae ei propria est, nulla facta sit commemoratio.

Viam nobis aperiunt, quae de iisdem rebus Anaximenes docuisse fertur, cap. Stob. I, 1, p 590 „Ἀναξίμανδρος ἐκ τοῦ πνεύματος ταῦτ' εἶπε συμβαίνειν· ὅταν γὰρ περιληφθὲν νέφει παχεῖ βιασάμενον ἐκπέσῃ τῇ λεπτομερείᾳ καὶ κουφότητι, τόθ' ἡ μὲν ῥῆξις τὸν ψόφον, ἡ δὲ διαστολὴ παρὰ τὴν μελανίαν τοῦ νέφους τὸν διαυγασμὸν ἀποτελεῖ. Ἀναξιμένης ταὐτὰ τούτῳ, προστιθεὶς τὸ ἐπὶ τῆς θαλάσσης, ἥτις σχιζομένη ταῖς κώπαις παραστίλβει." Comparandus est Seneca Natural. quaest. II, 17. „Quidam existimant, ipsum spiritum per frigida atque humida euntem, sonum reddere. Nam ne ferrum quidem ardens silentio tingitur. Sed quemadmodum, si in aquam fervens massa descendit, cum multo murmure exstinguitur, ita ut Anaximenes ait, spiritus incidens nubibus

tonitrua edit et dum luctatur per obstantia et intercisa vadens, ipsa ignem fuga accendit." Hinc illud ipsum explicari videtur, quod Aristophanes dixit „αὗται βροντῶσι κυλινδόμεναι" 375, et „ὑπὸ τοῦ ῥοίβδου καὶ τῆς ῥύμης αὐτὸς ἑαυτὸν κατακαίων."

Paullo aliter hac in re versatus est Anaximenis sectator Diogenes Apolloniates, de quo Stobaeus I, 1 „Διογένης ἐμπτωσιν πυρὸς εἰς νέφος ὑγρὸν βροντὴν μὲν τῇ σβέσει ποιοῦν, τῇ δὲ λαμπηδόνι τὴν ἀστραπήν, συναιτιᾶται δὲ καὶ τὸ πνεῦμα" et Sen. II, 20. „Diogenes Apolloniates ait, quaedam tonitrua igne, quaedam spiritu fieri. Illa ignis facit, quae ipse antecedit et nuntiat; illa spiritus, quae sine splendore crepuerunt." Aperte igitur Diogenes Anaxagorae et Anaximenis doctrinam coniunxit et spiritum quidem, ut Anaximenes et Aristophanes dixerunt, posse per se tonantes Nubes facere credidit, et cum Anaxagora ignem etiam agnoscit in nubes incidentem et tonitru et fulmen efficere posse.

Non Anaxagoram igitur, sed unum eorum philosophorum, qui ab aëre et spiritu omnia repetunt, fontem doctrinae, quam Socrates apud Aristophanem de fulminum et tonitruum ortu proposuit, fuisse intelligimus. Atque si verum dicere volumus, potuisset illud ex ipsa ratione colligi, qua Aristophanes in re explicanda utitur, quae etiam in singulis verbis ab Anaxagora prorsus recedit: nisi Δίνου commemoratio, quae tamen una per se, ut iam significavimus, incertissima est, tam omnibus aperta visa esset, ut reliqua accuratius indagare non necessarium esse existimassent. Atque hoc minus Δῖνος debebat unus omnes ducere, quum facile intelligatur, nihil nisi lusum et iocum in eo fingendo Aristophanem quaesivisse, illius similem, quem Timon in Anaxagoram coniecit,

Καί που Ἀναξαγόρην φασ' ἔμμεναι ἄλκιμον ἥρω
Νοῦν, ὅτι δὴ νόος αὐτῷ, ὃς ἐξαπίνης ἐπαγείρας
Πάντα συνεσφήκωσεν ὁμοῦ τεταραγμένα πρόσθεν.

Hunc enim Strepsiades, pessimus rerum coelestium iudex, unus venerabatur; Socrates vero iam antea Aerem tanquam summum deum allocutus fuerat, 264 et paullo post, nullius Δίνου commemoratione facta, Chaos, Nubes et Linguam scholae deos esse dixit, 423 seq. et Strepsiadi colendos commendavit. Post Anaxagoram vero et Democritum Aristophanis aetate alios etiam philosophos similem de motu vortices efficiente sententiam proposuisse, ut per se propter auditorum sectatorumque copiam coniicere licet, ita interdum nostra aetate viri docti divinaverunt. Certe a Diogene Apolloniata, Panzerbieterus cap. 66 et 67 ostendit, duplicem simplicium corporum motum in rerum origine describenda adhibitum esse, alterum omnia in gyrum agentem, alterum leviora sursum, graviora deorsum ferentem. cf. Ritter, Gesch. d. Phil. I., p. 235. Krische, Forsch. I., p. 176.

Ad hunc autem virum, qui post Anaxagoram doctrinam de aëre, rerum omnium fonte et principio, nova prorsus ratione explicavit, multa nos trahunt, quae iam accuratius explicanda sunt. De temporibus, quibus ille vixerit, non disputo. Postquam enim

Schleiermacherus, qui primus hanc historiae philosophicae partem ingenii sui acumine illustravit, de huius Diogenis aetate disseruit: multa sunt subtiliter indagata et ex parte ab ipso Schleiermachero inventa, quibus eum simul cum Anaxagora Athenis vixisse, huiusque doctrinam et novisse et partim probasse, partim impugnasse patefactum est, cf. Ed. Zeller, die Philosophie der Griechen I, p. 87 seqq. et Schleiermacher, Gesch. d. Phil. p. 77. Docent autem, nisi fallor, omnes Diogenis reliquiae, Simplicium verba illa celeberrima ac saepissime a doctis viris repetita *„Διογένης δὲ ὁ Ἀπολλωνιάτης σχεδὸν νεώτατος γεγονὼς τῶν περὶ ταῦτα σχολασάντων, τὰ μὲν πλεῖστα συμπεφορημένως γέγραφε, τὰ μὲν κατὰ Ἀναξαγόραν, τὰ δὲ κατὰ Λεύκιππον λέγων"* non temere posuisse, sed nisi ipse ex libro eius *περὶ φύσεως* eam rem cognoscere potuit, de qua re ego non dubitandum esse puto, ab auctore fide dignissimo accepisse. Saepe vero, quid dicere voluerit Simplicius, non satis intellectum est. Nam quod praecedit, non erat praetermittendum, universe quidem Diogenem ab Anaximenis partibus stetisse, sed eius doctrinam, additis rebus ex Leucippi et Anaxagorae philosophia petitis, auxisse et amplificasse. Ita si rem intelligimus, nihil ea habet, quod mirum cuiquam videri queat, praesertim quum, ut dixi, reliquiae Diogenis multae, ut ea, quae antea de fulmine et tonitru posuimus, originem illam non obscure prae se ferant. Quam ob caussam reliqua etiam, quae Simplicius de Diogene enarravit, fide digniora mihi, quam omnibus, qui hactenus quaestiones hasce attigerunt, videntur. Nam licet Simplicius plures libros a Diogene scriptos esse et editos affirmat, his verbis usus *„Ἰστέον, δὲ ὡς γέγραπται πλείονα τῷ Διογένει τούτῳ συγγράμματα, ὡς αὐτὸς ἐν τῷ περὶ φύσεως ἐμνήσθη καὶ πρὸς φυσιολόγους ἀντειρηκέναι λέγων, οὓς καλεῖ καὶ αὐτὸς σοφιστὰς καὶ [περὶ] μετεωρολογίας γεγραφέναι, ἐν ᾗ καὶ λέγει περὶ τῆς ἀρχῆς εἰρηκέναι καὶ μέντοι καὶ περὶ ἀνθρώπου φύσεως"* ad Aristot. phys. p. 31, b., Schleiermacherus tamen, Ritterus, Panzerbieterus Diog. Apoll. p. 22 multique alii contradicunt et unum tantum librum *περὶ φύσεως* agnoscunt. His ego non assentior. Simplicius enim hac quidem in re sibi constat, et ubi de Diogenis libro loquitur, his ipsis id verbis *„τὸ εἰς ἐμὲ ἐλθὸν αὐτοῦ σύγγραμμα ἐπιγεγραμμένον"*, nuncupavit. Deinde si rerum perquam diversarum meminerimus, quae ad Diogenem referuntur, haec vix uno libro comprehendi potuisse sumemus. Denique inter prima Diogenis verba, Panzerb. p. 33, et inter ea, quae Simplicius retulit, fuisse nonnulla de aliis philosophis dicta, quod Simplicius significavit, ex ipsa dicendi ratione sequitur. Quum enim a verbis hisce initium fecisset: *„Λόγου παντὸς ἀρχόμενον δοκέει μοι χρεὼν εἶναι, τὴν ἀρχὴν ἀναμφισβήτητον παρέχεσθαι, τὴν δὲ ἑρμηνείην ἁπλῆν καὶ σέμνην"*, non potuit ita pergere: *„Ἐμοὶ δὲ δοκέει τὸ μὲν ξύμπαν εἶναι πάντα τὰ ἐόντα ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ ἑτεροιοῦσθαι καὶ τὸ αὐτὸ εἶναι"*, nisi interpositis nonnullis, quibus aliorum sententiam refutare conatus fuerat.

Sed quomodocunque his de rebus judicatur, iam Nubium nomen fabulae impositum ipsaque harum dearum veneratio Atheniensibus commendata ostendit, Aristopha-

nem ex doctrina illorum temporum de aere sua hausisse. Ac magis etiam haec apparent eo loco, quo Socrates Nubes auxilio vocat, **264** seq.

ὦ δέσποτ' ἄναξ, ἀμέτρητ' Ἀήρ, ὃς ἔχεις τὴν γῆν μετέωρον
λαμπρός τ' Αἰθὴρ σεμναί τε Θεαὶ Νεφέλαι βροντησικέραυνοι

et Aerem tanquam regem omnium rerum initio precum nominavit. Eodem pertinet, quod Socrates v. **627** iurat

μὰ τὴν Ἀναπνοὴν, μὰ τὸ Χάος, μὰ τὸν Ἀέρα

quod Strepsiades postea imitatus est in *μὰ τὴν Ὀμίχλην* v. **814**. Quae nobis Diogenis verba in memoriam revocant Panzerbiet. p. **60** seq. „*Καί μοι δοκέει τὸ τὴν νόησιν ἔχον εἶναι ὁ ἀὴρ καλεόμενος ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, καὶ ὑπὸ τούτου πάντα καὶ κυβερνᾶσθαι καὶ πάντων κρατέειν.*"

Sed quum similia apud alios etiam scriptores dicantur, ut in eo libro, qui est inter Hippocrateos, *περὶ φυσῶν*, quem ab Anaxagorae discipulo quodam falso nonnulli scriptum esse putarunt, cf. Hecker, Geschichte der Medic. I., p. **128**, „*οὗτος δὲ μέγιστός ἐστιν ἐν ἅπασι τῶν συμπτωμάτων δυνάστης*", alia quaedam, quae magis perspicue ad unum Diogenem referuntur, addenda sunt. Intrans igitur Strepsiades in scholam, Socratem reperit in crate pensili (*ἐπὶ τῆς κρεμάθρας*) sedentem et ut ipse illud explicat, per aerem vadentem et de sole meditantem. Interrogatus igitur, cur id fecerit, respondet

οὐ γὰρ ἄν ποτε
ἐξεῦρον ὀρθῶς τὰ μετέωρα πράγματα,
εἰ μὴ κρεμάσας τὸ νόημα καὶ τὴν φροντίδα
λεπτὴν καταμίξας εἰς τὸν ὅμοιον ἀέρα.
εἰ δ' ὢν χαμαὶ τἄνω κάτωθεν ἐσκόπουν
οὐκ ἄν ποθ' εὗρον. οὐ γὰρ ἀλλ' ἡ γῆ βίᾳ
ἕλκει πρὸς αὑτὴν τὴν ἰκμάδα τῆς φροντίδος.

Haec, ut unus Jacobus Grothius quantum scio in dissertatione litteraria de Socrate Aristophanis, Traj. ad Rhen. **1843** observavit, p. **100** seq. ex Diogenis doctrina de anima hausta et adumbrata sunt. Locupletissimum eius rei testem habemns Theophrastum, qui ubi varias de sensibus doctrinas philosophorum singulatim percenset, nostri etiam Diogenis memoriam iniecit. „*Διογένης δὲ*, ait §. **39**, *ὥσπερ τὸ ζῆν, καὶ τὸ φρονεῖν τῷ ἀέρι καὶ τὰς αἰσθήσεις ἀνάπτει*, et §. **44** *φρονεῖν δὲ, ὥσπερ ἐλέχθη τῷ ἀέρι καθαρῷ καὶ ξηρῷ· κωλύειν γὰρ τὴν ἰκμάδα τὸν νοῦν· διὸ καὶ ἐν τοῖς ὕπνοις καὶ ἐν ταῖς μέθαις καὶ ἐν ταῖς πλησμοναῖς ἧττον φρονεῖν. Ὅτι δὲ ἡ ὑγρότης ἀφαιρεῖται τὸν νοῦν, σημεῖον, ὅτι τὰ ἄλλα ζῷα χείρω τὴν διάνοιαν· ἀναπνεῖν τε γὰρ τὸν ἀπὸ τῆς γῆς ἀέρα καὶ τροφὴν ὑγροτέραν προσφέρεσθαι. — Ταὐτὸ δὲ αἴτιον εἶναι καὶ ὅτι τὰ παιδία ἄφρονα· πολὺ γὰρ ἔχειν τὸ ὑγρόν.*" Cum his ea conferenda sunt, quae Theophrastus ad impugnandam Diogenis sententiam §. **48** protulit. „*Εὔηθες δὲ τὸ καὶ τοὺς*

ἀνθρώπους διαφέρειν τῷ καθαρώτερον ἀναπνεῖν, ἀλλ' οὐ τὴν φύσιν, καθάπερ καὶ τὰ ἔμψυχα τῶν ἀψύχων; *ἐχρῆν γὰρ εὐθὺς μεταλλάξαντα τόπον διαφέρειν τῷ φρονεῖν· καὶ τῶν ἀνθρώπων δὲ τοὺς ἐν τοῖς ὑψηλοῖς ἐμφρονεστέρους εἶναι, τῶν πάντων δὲ μάλιστα τοὺς ὄρνιθας.*"

Diogenes igitur quum ab aëre omnia deduceret, eidem et vitam et sensum et cogitationem tribuit, maioremque vel minorem eius partem et rebus et hominibus singulis inesse censuit „*Πολλοὶ τρόποι*" ait ap. Simplic. I., 1. v. Panzerbiet. p. 63 „*καὶ αὐτοῦ τοῦ ἀέρος καὶ τῆς νοήσιός εἰσιν. ἔστι γὰρ πολύτροπος καὶ θερμότερος καὶ ψυχρότερος καὶ ξηρότερος καὶ ὑγρότερος*" cett. Potest igitur animus et siccior esse et humidior, vel quod idem est, acutior et hebetior. Ac quaecumque humidum corpus reddunt, ea simul aërem, qui est in corpore, humidiorem h. e. hominem hebetiorem reddunt; contra in sicco puroque aëre si homo versatur, ingenium eius fit acutius. Quare qui hanc Diogenis doctrinam sequebatur, si altiorem occupasset locum et a terra remotior esset, se et puriore sole usurum et prudentiorem futurum esse, sperare poterat.

Hanc doctrinam de aëre a Diogene propositam Aristophanes paene eadem iam ratione, qua postea Theophrastus, irrisit; nisi quod ille ut comicus poeta, corbe pensili addita, quam Socrati tribuit, hoc ad sensum hominum de plebe accommodatius monstravit. Mire autem Strepsiades omnia invertit, male intellecto additamento quodam, quo rem totam etiam magis perspicuam reddere voluerat,

πάσχει δὲ ταὐτὸ τοῦτο καὶ τὰ κάρδαμα.

Ea vero profecto nobis ipsis intellectu sunt difficilia. Mihi videbantur aliquando ad ea trahenda esse, quae Theophrastus de caussis plantarum, 4, c. 3 enarrat. „*Τὸ δὲ ὅλον*", ait, „*οὐκ ἔοικεν ἡ θερμότης μάλιστα εὐβλαστεῖν, εἴπερ θερμὰ τὰ δριμέα· καὶ γὰρ τὸ πράσον καὶ τὸ γήτειον καὶ ἔτι μᾶλλον ἡ θύμβρα καὶ ἡ ὀρίγανος δυσβλαστῆ.* (His etiam *κάρδαμα* adnumerantur, ut Theophr. de plant. histor. I, 12, 1 docet: *τῶν δὲ χυλῶν οἱ μὲν εἰσιν οἰνώδεις, — οἱ δὲ δριμεῖς, οἷον ὀριγάνου, θύμβρας, καρδάμου, νάπυος.*) *Δεῖ γὰρ ἔχειν τινὰ ὑγρότητα, καὶ οὐχ ἧττον, ἀλλὰ μᾶλλον ἴσως εὐκρασίαν τὸ εὐβλαστὲς πρὸς τὸ ποιεῖν καὶ πάσχειν. Ὅλως δ', ὡς ἐν γένει λαβεῖν, ξηρότατα τῶν σπερμάτων τὰ στεφανωματικὰ καὶ τὰ τῶν λαχάνων· ὅθεν καὶ τάχιστα τὰς ἰκμάδας ἕλκει· διὸ καὶ κρεμαννύουσιν αὐτὰ καὶ οὐ ῥαίνουσι τὰ οἰκήματα οὐδ' ὕδωρ εἰσφέρουσιν ἁπλῶς.*" Non igitur illud solum Socrates videbatur commemorare voluisse, eam esse nasturtii naturam, ut multum humorem ad se attraheret, verum etiam ut homines semina suspendere et ab omni humido seiungere cogeret. Sed non inest in verbis. locus autem omnis in eo maxime cernitur, quod Diogenes, quem Theophrastus propterea maxime reprehendit, quod *πάντα βουλόμενος ἀνάπτειν τῷ ἀέρι πολλῶν ἀπολείπεται πρὸς πίστιν*, §. 46. ipso argumentationis cursu coactus, omne inter hominem resque reliquas discrimen tollere videbatur.

Pressit vero Diogenes in doctrinae illius parte, quam Aristophanes imitatus est,

praeter Anaximenem fortasse Heracliti vestigia, cuius celeberrimum illud est „*αὔη ψυχή σοφωτάτη καὶ ἀρίστη*", de quo vid. Schleiermacher. Sämmtl. Werke. Zur Philos. Bd. II. p. 128 sq. et „*ἀνὴρ ὁπόταν μεθυσθῇ, ἄγεται ὑπὸ παιδὸς ἀνήβου σφαλλόμενος, οὐκ ἐπαΐων ὅκη βαίνει, ὑγρὴν τὴν ψυχὴν ἔχων.*" Certe trium horum virorum in doctrina de anima consensum iam Ritterus indicavit, Gesch. d. Philos. I., p. 248. Quae Hippocrates in libro celeberrimo de aëre, locis et aquis docuit, sunt ad easdem rationes revocanda et cum his sententiis arcte nectenda. Atque Euripides, si Athenienses celebrat. Med. 824, *ἱερᾶς χώρας ἀπορθήτου τ' ἀποφερβόμενοι κλεινοτάταν σοφίαν, αἰεὶ διὰ λαμπροτάτου βαίνοντες ἁβρῶς αἰθέρος*" cum Heraclito et Hippocrate convenit, cf. Schleiermacher I. 1. p. 129 et propter nexum inter Heraclitum et Euripidem Bernhardy. in Allgem. Encyclop. vol. XXXIX. p. 136. not. 18 et 137, not. 20. Quare haec quoque opinio ad plures pertinuit.

Sed tempus est, ut reliqua adiungamus, quae in Nubibus ex physica doctrina hausta sunt. Perspicuum autem, eodem pertinere, si Nubes omnem sapientiam hominibus tribuere dicuntur dicendique artem, 417

αἵπερ γνώμην καὶ διάλεξιν καὶ νοῦν ἡμῖν παρέχουσιν

et Strepsiades ait, 319

ταῦτ' ἄρ' ἀκούσασ' αὐτῶν τὸ φθέγμ' ἡ ψυχή μου πεπότηται
καὶ λεπτολογεῖν ἤδη ζητεῖ καὶ περὶ καπνοῦ στενολεσχεῖν
καὶ γνωμιδίῳ γνώμην νύξασ' ἑτέρῳ λόγῳ ἀντιλογῆσαι.

quae omnia ad Aerem Diogenis transferri facile possunt. Verum si haec nihil continent, quod non potuisset etiam ad reliquos physicos trahi, neque illa ab hoc uno videntur inventa esse, vel ad unius huius irridendam doctrinam spectare, quae initio Aristophanes de pulice saliente, 145 et de culicibus aut ore aut podice canentibus lusit. Imprimis si Strepsiades exclamat, 166

ὦ τρισμακάριος τοῦ διεντερεύματος
ἦ ῥᾳδίως φεύγων ἂν ἀποφύγοι δίκην
ὅστις δίοιδε τοὔντερον τῆς ἐμπίδος

de nemine inter philosophos antiquos tam apte, quam de Diogene cogitare possumus, qui inter primos artis anatomicae conditores numerandus est, cf. Hecker, Gesch. d. Heilk. I. p. 206. Diogenes enim non solum *ἀνατομὴν ἀκριβῆ τῶν φλέβων παραδίδωσιν*, ut Simplicius ait, quam Aristoteles totam repetere non dedignatus est, sed etiam quid aer in corporibus minimarum bestiolarum efficiat, ostendit. Nota est illius sententia de piscibus aërem ex aqua haurientibus, Aristot. de respir. 2. Panzerb. p. 96. quam auctor libi *περὶ φυσῶν*, de quo supra diximus, eadem ratione repetiit, Hippocr. I., p. 572, ut Diogenis discipulum agnoscas. Notum est, qua caussa allata demonstraverit, cur aves, quanquam purum aëra trahentes, nulla prudentia fruantur, cf. Theophr. I., p. 66. ed. Schneid. „*τὸ πνεῦμα*

οὐ διιέναι διὰ παντός, ἀλλὰ ἱστάναι περὶ τὴν κοιλίαν." Multa similia, quae afferri possunt, praetereo, quoniam id iam dudum intellectum est, totam Diogenis sapientiam in singulis rebus naturae ex aëre explicandis constitisse. Hoc unum moneo, quae de pulice dicta sunt, videri ad geometriam pertinere; quae de culicibus, cum illis, quae de fulminibus proposita sunt, cohaerere, quoniam utraque in re ventus, angusto spatio inclusus, dum exit, sonum efficit. Potuisset simile quid exempli caussa allatum esse. Conferenda equidem puto, quae apud Hippocratem legimus in Aphorismis, p. 462 ed. Kühn. „Πταρμὸς γίνεται ἐκ τῆς κεφαλῆς διαθερμαινομένου τοῦ ἐγκεφάλου ἢ διυγραινομένου τοῦ ἐν τῇ κεφαλῇ κενοῦ, ὑπερχεῖται οὖν ὁ ἀὴρ ὁ ἐνεὼν ἔξω. *Ψοφεῖ δὲ ὅτι διὰ στενοῦ ἡ διέξοδος αὐτοῦ ἐστιν,*" ibidemque p. 575: „Μετὰ πάντων γὰρ τῶν ἐσθιομένων καὶ πινομένων εἴσεισι πνεῦμα ἐς τὸ σῶμα ἢ πλέον ἢ ἔλασσον. Φανερὸν δὲ τοῦτο τῷδέ ἐστιν· ἐρευγμοὶ γὰρ γίνονται μετὰ τὰ σιτία καὶ τὰ ποτὰ τοῖσι πλείστοισιν, ἀνατρέχει γὰρ ὁ κατακλεισθεὶς ἀὴρ, ὁκόταν ἀναῤῥήξῃ τὰς πομφόλυγας, ἐν ᾗσι κρύπτεται." Talia sunt illa, quae Aristophanes ad tonitrua explicanda Socratem enarrantem fecit.

Quae praeterea in Nubibus reperiuntur, licet unum ad Diogenem referri nequeant, tamen sunt eiusdem ab omni parte rationis, quaestionesque attingunt saepe illis temporibus et a Diogene ipso tractatas. Dixit enim de mari, 1271, ubi quod addidit „οὐ γὰρ δίκαιον, πλεῖον εἶναι" Heracliteae doctrinae speciem habet, de pluvia 1261, et de coelo 91 seqq., vel ut in Avibus est, aëre fornacis instar concamerato, quae ad Hipponem a scholiasta referuntur, cf. Groth. de Socrate Aristoph. p. 97.

Unum igitur restat, ut de rebus divinis quaeramus, propter quas omnis haec sapientiae physicorum irrisio suscepta est. Communem autem hanc fuisse omnium philosophorum illa aetate criminationem, deorum vulgarium contemptui iis propalam esse venerationem, quibus populi animi irritari solebant, notum est. Non mirum igitur, quod Diogenes quoque, Demetrio Phalereo teste ap. Diog. Laert. IX, 57, Atheniensium invidiam odiumque excitasse fertur. Nemo enim nescit, rerum naturalium studio aucto in dies atque amplificato, deos istos Graecorum ne potuisse quidem eadem ratione coli, qua apud maiores factum erat. Quid enim? si iam Empedocles grande illud Iovis apud Homerum cognomen νεφεληγερέτα ad Aerem transtulerat, cf. Plut. Symp. V, 8, 2; num potuerunt antiqui isti propter fulgura in impios missa terrores retineri? Atqui Diogenes, quoniam primus omnium aeri intellectum tribuebat, vel ut cum Augustino loquar, „aerem quidem," dixit, „rerum esse materiam, de qua omnia fierent, sed eum esse compotem divinae rationis, sine qua nihil ex eo fieri posset," cf. Krische, Forschungen auf dem Gebiete der Griech. Philosophie I, p. 175 seq.: hanc ob mutationem Ionicae disciplinae, ex Anaxagorica potissimum doctrina haustam, longe minus facile, quam reliqui physici, veterem superstitionem retinere potuit.

Quodsi recte rationes subduximus, Aristophanes in Nubium fabula componenda

quanquam Diogenis Apolloniatae nomen numquam commemoravit, tamen philosophia eius tamquam praecipuo quodam fonte usus est, unde arma, quibus Socratem impugnaret, peteret. Hac in re tamen ita versatus est, ut simul totam illam philosophandi rationem, quam praeter Diogenem permulti Athenis persequebantur, ut Archelaus, aequalis eius, Socratis saepe praeceptor dictus, et irrideret et quam maxime periculosam esse demonstraret. Neque enim deos illa videbatur, sed simul quaecunque in vita publica et privata laudabilia usque ad illam aetatem fuerant, funditus sublatura esse.

At vero, frater dilectissime, totam Nubium fabulam perlustrantibus nobis nihil tam perspicuum est, quam omni huic de philosophia quaestioni primas partes omnino datas non esse. Nam castigavit quidem istam doctrinam, quia decreta eius temerario doctorum umbraticorum conatu in publicum emanaverant et in vitam hominum labem inducere turpissimam coeperant, sed simul semper se longe maiore odio artem rhetoricam eadem aetate ortam persequi ostendit, nec philosophiam aliam magis ob caussam quam propter novam istam familiaritatis coniunctionisque necessitatem cum arte in utramque partem disserendi initam aggressum esse. Statim enim ab initio fabulae dolus, de quo ab se invento et excogitato Strepsiades gloriatur, in eo cernitur, quod in rhetorum scholam filium mittere cupit. Hinc ubi filium primo alloquitur, artem esse aliquam dicendi narrat, vel persuadendi v. 98 seq. (λέγοντες ἀναπείθουσι) qua vel ad incredibilia pro veris habenda homines cogi possint, eamque mercede data doceri. Quicunque igitur in schola iniustam caussam didicerit, in litibus agendis semper victoria potiri et patrem ab aere alieno liberare posse. Sed subtilem esse eam artem et difficilem, qua res omnes toto animo versare atque expendere cogitandoque perscrutari doceamur (φροντιστήριον), nec posse sine iuvenili ingenii vi comprehendi, cf. v. 129.

Huius eloquentiae imago per totam Aristophanis comoediam in singulis quibusque eius partibus traditur. Ac primus quidem, postquam eius discipulus aliquis quasi praeluserat, Socrates totam vim artis suae omnemque eius splendorem patefecit; deinde Strepsiades ea utitur, et ubi filio persuadet, (ἄκων ἀναπείσας) 814 seqq. ut pro patre discendi molestias suscipiat, et ubi Amyniam Pasiamque creditores repellit; tum ipsi λόγοι inducuntur et ῥημάτια καινά, γνώμας, διανοίας manifeste planeque ostendunt, quibus ars rhetorum insignis erat; postea Phidippides, scholae institutione usus, patrem et praemiis eius et poenis afficit et summam morum perniciem ex disciplinu ista exoriri docet. Itaque si haec omnia diligenter perlegimus, eaque addimus, quibus ipsam docendi rationem in colloquiis Socratis cum Strepsiade monstrat, nihil paene restat, quod ad artem hanc rhetoricam cognoscendam aliunde petendum sit. Pauca tantum depromam, quae duce poeta nostro cognoscimus.

Diversissimis ex caussis quum omnis aetatis discipuli fama Socratis allecti scholam eius adire cuperent, nullum ille, qui se ad discendum obtulisset, recusabat,

neque ubi pravo eos consilio duci videbat, aliam in scholam ut se conferrent, iis praecipiebat, longe dissimilis Pythagorae, cuius gravitatem imitatur v. 263 seqq., qui non ex omni ligno Mercurium posse exsculpi dictitaverat. Neque diu cunctatur, sed statim docere incipit, atque ita quidem hoc facit, ut primo statim congressu eos totos a vulgari superstitione, quam antea sectati fuerant, revellat et liberet. Percellitur animus novi discipuli, quod res novas, insolitas, numquam auditas accipit, quae etiam ab hominibus infimorum ordinum facillime intelliguntur. Itaque quum Strepsiades ad Socratem advenisset, Nubes statim advocat efficitque eorum auxilio, ut nova statim cupiditas subtiliter de rebus omnibus disputandi in animo eius oriatur. Cum vero Phidippides a patre in scholam ductus esset, iustae iniustaeque caussae oratores, ipsis quasi Nubibus praesidentibus, totam indolem naturamque suam adolescenti aperiunt, qui quum haec exempla sibi proposita vidisset, propter ingenii facultates celerrime arte potitur. Metus Iovis ac deorum ex animo radicitus evellitur, simul vero aliud superstitionis genus excitatur. Fallaces ubique ratiocinationes proferuntur. „Non pluit," ait, „sereno coelo; hinc non Iuppiter pluviae auctor, sed Nubes." Si quid ex subtili doctrina traditum, sed non recte intellectum est, ut v. 381, error non tollitur. Ex notis ignota deducuntur. Quaestiones proponuntur, ut ex ipsa discipuli mente veritas emergere videatur („*ἀπόκριναί νυν, ἅττ' ἂν ἔρωμαι*" v. 345). Argumenta ad res demonstrandas afferuntur, quae ad persuadendum aptissima et sensui communi maxime obvia sunt, *πιστώσεις*, v. 385. Quae quis ipse novit, ad ea quaestiones revocantur, „*ἀπὸ σαυτοῦ 'γώ σε διδάξω*" v. 385. Quamquam deos esse negant, tamen, ubicumque necessarium est, fabulis antiquis ad homines fallendos abutuntur, vv. 903 seqq., 1073 seqq. Blandiuntur hominibus, voluptates excusant; quae inter homines eximia sunt, reprehendunt; quidquid potest efficere, ut propositum consequantur, summa cupiditate admittunt. Iam igitur quum animus discipuli totus ad discendum pronus paratusque sit, neque ullas difficultates aut molestias detrectet, ipsa institutio incipit. Ac primum quidem ingenium discipulorum exploratur. Quaestionibus propositis, ut ipsi de facultatibus suis cogitent rationemque reddant, commoventur. Imprimis indagatur, num memoriae vi excellant, naturali dicendi facultate instructi sint, celeriter quaecunque iis offeruntur, percipere possint, irae denique et ultionis cupiditate trahantur. Exploratione autem finita, etiam illi, qui naturam non eximiam patefecerunt, veste detracta in scholam admittuntur.

Institutio oratoris futuri haec fere est. Primum animi praeparandi caussa et ut vis naturae et ingenii excitetur, ad multiplicem scientiam, ut ad rem metricam et grammaticam, admittitur, v. 626 seqq.; tum ad cogitandi inveniendique sollertiam ducitur, 685 seqq.; denique, si recte hoc ita interpretamur, exempla ei proponuntur, quae imitari possit, 879 seqq.

Harum rerum quam initio posui, pro potissima habitam esse, ex tota fabulae conformatione sequitur. Quod enim rem metricam tantummodo et grammaticam attigit, ideo factum est, quoniam in fabula tantummodo exempla quaedam rerum proponi possunt, ex quibus reliqua facile qualia sint intelliguntur et quoniam Strepsiades, qui nihil recte percipiebat, cursum litterarum oratori tradendarum ipse impediebat. Attendendum igitur est ad ea, quae ipse Strepsiades de rebus physicis in schola didicit, 1261 seqq. quaeque Phidippides de legibus 1402 seqq. disputat, neque instrumenta illa astronomica, geographica, geometrica, 201 seqq., quae in schola reperiuntur, praetermittenda sunt. Quod igitur de litterarum illis temporibus coniunctione exposui, id de arte rhetorica imprimis valet, cui qui se addixerant, discere cogebantur, 830:

ὅσαπερ ἔστ' ἐν ἀνθρώποις σοφά.

Voluit igitur haec, quae apud Aristophanem describitur schola Socratica efficere, ut qui eloquentes esse cuperent, omnem paene omnium rerum divinarum atque humanarum scientiam comprehenderent, earumque vim caussasque perciperent. Neque eos limitibus quibusdam iudiciorum circumscripsit, sed in omnis sermonis disputatione exercuit et copiosos reddere studuit, ut ex ratione colligo, qua rei metricae utilitatem Socrates exponit, 369:

πρῶτον μὲν εἶναι κόμψον ἐν συνουσίᾳ,
ἐπαΐονθ', ὁποῖός ἐστι τῶν ῥυθμῶν
κατ' ἐνόπλιον, χὠποῖος αὖ κατὰ δάκτυλον.

Hanc ob caussam igitur, quod nimis multa discunt, discipuli pallidi redduntur, 104, non diu sub dio commorantur, 199, maximas difficultates subire et molestias coguntur, 438 seqq., nec ad corporis cultum et curationem animum convertunt, 826. Praeterea magna vis ingenii, atque memoria imprimis firma et diuturna, 620, 775, al. et in rebus excogitandis acumen requirebatur.

Altera pars institutionis 690 seqq. tota ad inventionem earum rerum pertinet, quae in singulis litibus efficere possunt, ut nostra caussa melior ac probabilior videatur esse. Ac Strepsiadis quidam inventiunculae levissimae ac lepidissimae sunt, sed via, quam Socrates praescribit, ex ipsa disciplinae istius subtilitate hausta. Haec omnia ad artem dialecticam pertinent. Iacet discipulus in grabato, caput velis obtexit, rebusque intentus nec a quoquam homine in cogitatione impeditus, sententiam quamque ultro citroque versat accurate singula discernit et indagat, subtilissime texit stamina et retexit; si res non succedit, celeriter ad aliam transit; a somno, a cibo, a potu abstinet; et 752 seq.:

ἀποχαλᾷ τὴν φροντίδ' εἰς τὸν ἀέρα,
λινόδετον ὥσπερ μηλολόνθην τοῦ ποδός.

Exemplum denique, quod proponitur, ita est comparatum, ut manifestam claram-

que nobis eloquentiae illius imaginem praebeat, quae in utramque partem optime disputat, sed peiori tamen caussae victoriam splendidissimam parat.

Apparet, eloquentiae huius indolem ac naturam esse, ut *ἐνθυμήματα, πιστώσεις, εἰκότα, τεκμήρια* studiose quaerat, ut tota in rebus conquirendis occupata sit, quas *σώματα τῆς πίστεως* Arist. Rhet. I, 1 vocavit, ut veritatis nulla ratione habita omnique morum bonorum doctrina prorsus abiecta nihil velit, nisi homines in loquentis sententiam trahere, cf. Plat. Phaedr. p. 92. Bekk („*παντάπασι γὰρ ὃ καὶ κατ' ἀρχὰς εἴπομεν τοῦ δεῖ λόγου· ὅτι οὐδὲν ἀληθείας μετέχειν δέοι δικαίων ἢ ἀγαθῶν πέρι πραγμάτων ἢ καὶ ἀνθρώπων γε τοιούτων φύσει ὄντων ἢ τροφῇ, τὸν μέλλοντα ἱκανῶς ῥητορικὸν ἔσεσθαι· τὸ παράπαν γὰρ οὐδὲν ἐν τοῖς δικαστηρίοις τούτων ἀληθείας μέλει οὐδενί, ἀλλὰ τοῦ πιθανοῦ.*"). Facta est et inventa tota ad homines in fraudem inducendos; paradoxa, quae vocantur, sectatur, a notissimis quibusque rebus ad sententias a communi sensu abhorrentes quam celerrime transit contraque omnium opinionem disputat (*τουτί μ' ἐλελήθει* 379), *ἐπὶ τῇ καινότητι τῶν εὑρημένων φιλοτιμουμένη*, ut Isocrates ait. Minime omnium de dicendi ratione praecipit. „*Οἱ γὰρ πάλαι ῥήτορες,*" ait Caecilius ap. Phot. p. 485 Bekk., „*ἱκανὸν αὐτοῖς ἐνόμιζον εὑρεῖν τε τὰ ἐνθυμήματα καὶ τῇ φράσει περιττῶς ἐπαγγεῖλαι· ἐσπούδαζον γὰρ τὸ ὅλον περὶ τὴν λέξιν καὶ τὸν ταύτης κόσμον, πρῶτον μὲν ὅπως εἴη σημαντικὴ καὶ εὐπρεπής, εἶτα δὲ καὶ ἐναρμόνιον ἡ τούτων σύνθεσις,*" quorum Aristoteles convenit „*οὔπω δὲ σύγκειται τέχνη περὶ αὐτῶν, ἐπεὶ καὶ τὸ περὶ λέξιν ὀψὲ προῆλθε,*" Rhet. III, 1.

Haec omnia perpendentibus quum id unum sole clarius sit, artis sophisticae imaginem ab Aristophane expressam esse, qualis ipsius aetate percrebuit, eamque ab omni parte veritati respondere: intelligimus simul, hac quoque in re idem ab eo admissum esse, de quo in rebus physicis antea enarratum est. Utriusque doctrinae rationes ad vivum expressit, arcte inter se cohaerentis. Nam ut ab eo incipiamus, quod modo attigimus, primum quae de dictione rhetorum ex Caecilio attulimus, ea ad philosophicam dicendi rationem transferri accurate possunt. Anaxagorae librum suavi fuisse et magnifica oratione scriptum („*ἡδέως καὶ μεγαλοφρόνως ἡρμηνευμένον*“) Diogenes Laertius tradidit, II., 3. Diogenes Apolloniates de rebus philosophicis disserentibus simplici et gravi oratione opus esse („*τὴν δὲ ἑρμηνείην ἁπλῆν καὶ σεμνήν*“). Cicero autem (de Orat. I., 10, §. 42 et 49) Democritum reliquosque physicos philosophos omnes ornatos vocavit in dicendo et graves.

Si autem ad res transimus, quibus operam dabant, earum patet diligentissimam pervestigationem philosophorum fuisse, a quibus ea ad rhetores ab sophistis translata est. Verissime igitur et ad ea, quae ex Aristophanis Nubibus discimus accommodatissime Spengelius, ubi Siculorum eloquentiae originem ex Italorum philosophorum placitis deduci

posse suspicatus est, Art. scriptt. p. 23, pro concesso sumit, graecae sophistices originem ex Ionum ductam esse philosophia.

Qualis autem sit inter utramque disciplinam coniunctio, inde intelligitur. Ut in natura de necessitate multa philosophi dicere consueverant, ita etiam in argumentis ex morum doctrina repetendis ad eandem necessitatis commemorationem confugerunt. Ita Strepsiades ubi consilium cepit scholam intrandi omniaque mala suscipiendi, quae ex disciplina eius proditura essent, his verbis utitur, 436 seq.

δράσω ταῦθ' ὑμῖν πιστεύσας· ἡ γὰρ ἀνάγκη με πιέζει
διὰ τοὺς ἵππους τοὺς κοππατίας καὶ τὸν γάμον, ὅς μ' ἐπέτριψε

Eademque ratione orator caussae iniustae 1058 peccata gravissima excusat,

πάρειμ' ἐντεῦθεν ἐς τὰς τῆς φύσεως ἀνάγκας

Iam vero ut supra instituimus, hac quoque in re quaestio proponenda est, utrum Aristophanes certum aliquem sophistam illius aetatis accuratius descripserit, an nihil nisi indolem illius artis universe tradere voluerit. Illud si suscipimus, nullus eorum tam evidenter cognosci videtur, quam Protagoras, de quo Aristot. Rhet. II., 24 „*καὶ τὸ τὸν ἥττω δὲ λόγον κρείττω ποιεῖν τοῦτ' ἔστι, καὶ ἐντεῦθεν δικαίως ἐδυσχέραινον οἱ ἄνθρωποι τὸ Πρωταγόρου ἐπάγγελμα*". Atque haec est vulgaris opinio, ut in rebus physicis Anaxagoram, ita in arte sophistica Protagoram potissimum poetae observatum fuisse, ad quem etiam illa trahi posse videntur, quae de nominibus masculinis et femininis docentur; cf. Spengel I., 1. p. 43. Sed quum illo tempore, quo Nubes docebantur, Protagorae promissa iam in communem sophistarum usum transiissent, non, ut antea, operosa demonstratione opus est, ut efficiatur, ad unum hominem haec trahi non debere. Superest igitur, ut ipsius Socratis imaginem hac in fabulae parte Aristophanem ostendere voluisse sumamus. Est enim ars dialectica Socratis, cf. Brandis. l. l. II., 1. p. 49 seq., quam Ar. aeque atque sophistarum eloquentiam periculosam esse censuit ac propterea iisdem fere coloribus depinxit.

Hucusque, frater dilectissime, quae disputavi, ex parte quidem in eam Te opinionem ducere potuerunt, ut me hac in quaestione de Socrate totum ab Aristophanis partibus stare crederes; sed audi, quo rem deducam.

Exorsi sumus a privatae vitae inter Athenienses labe ac ruina (p. 4—7) quam fide paene historica a poeta nostro descriptam esse ostendimus. At quidquid veteres de Xanthippa Socratis uxore fabulantur, de vita eius familiari nihil dedecoris, quod quidem aliquam veritatis speciem nactum sit, usquam auditum est. Quid? quod immerito huius rei Aristophanem interdum testem nominarunt locupletissimum, a quo tale nihil accepimus. Quod autem paupertatem eum pertulisse, corporis cultum neglexisse, vitae molestias ultro expetiisse crimini ei faciunt, id quidem ut per se nihili est, ita hac in fabula, in qua Strepsiades a patrum parsimonia recedere coactus in summam calamitatem incidisse perhibetur, laudi magis, quum reprehensioni verti debebat. Ac Protagoram quidem

Eupolis, qui ipse, ut vidimus, propter paupertatem in Socratem invehitur, ob luxuriam vellicat, ap. Mein. II., 1. p. 405

ὃς ἀλαζονεύεται μὲν ἀλιτήριος
περὶ τῶν μετεώρων, τὰ δὲ χαμᾶθεν — ἐσθίει.

Si autem Aristophanes simul cum Eupolide furti clam admissi Socratem incusat, id quidem ad idem paupertatis crimen revocandum est nec nisi ex comicorum consuetudine omnia in peius trahendi plebisque rumores repetendi explicandum. Mihi certe illud semper maximae aegritudini fuit, quod nonnulli nostratium suspicati sunt, Socratem doctrinae studiis occupatum minusque propterea ad ea, quae in se admitteret, attentum aliquando suspicionem eiusmodi movisse; immemores illi et rumorum plebis interdum talia mentientis et testimonii Xenophontei, Memm. I., 2, quod omnem hac de re dubitationem tollit. Sed universe dicendum est, nihil in toto terrarum orbe certius constare, quam vitae Socratis innocentiam et sanctitatem. Neque Aristophanes, quanquam has quoque criminationes repetit, magnam iis vim tribuit, sed cum universa illa morum corruptela ratione longe diversa eum coniunxit, ac primum quidem propterea, quod minus eum civitatis negotia tractantem quam cum hominibus plurimis colloquiorum et sermonum usum ac consuetudinem contrahentem viderat. Atque haec quidem accusatio saepissime repetita est. Quae qualis sit, apud Ciceronem de Orat. III., 15 docetur „Hanc, inquam, cogitandi pronuntiandique rationem vimque dicendi veteres Graeci sapientiam nominabant. Hinc illi Lycurgi, hinc Pittaci, hinc Solones. — Eadem autem alii prudentia, sed consilio ad vitae studia dispari, quietem atque otium secuti, ut Pythagoras, Democritus, Anaxagoras a regendis civitatibus totos se ad cognitionem rerum transtulerunt: quae vita propter tranquillitatem et propter ipsius scientiae suavitatem, qua nihil est hominibus iucundius p l u r e s, q u a m u t i l e f u i t r e b u s p u b l i c i s d e l e c t a v i t. Itaque ut ei studio se excellentissimis ingeniis homines dediderunt, ex ea summa facultate vacui ac liberi temporis, m u l t o p l u r a, q u a m e r a t n e c e s s e, doctissimi homines, otio nimio et ingeniis uberrimis affluentes curanda sibi esse ac quaerenda et investiganda duxerunt.“ Sed primum de Socrate, qui nec civilia nec bellica negotia prorsus detrectavit, non ab omni parte dici illa possunt, et habent aliam excusationem, quae immortalem viri gloriam peperit. Nam tandem aliquando relinquenda est, quam hactenus servavimus, Atheniensium ipsorum iudicandi ratio, quae arctis urbis limitibus cingitur, neque ad altiora illa, quae ut Socratis animo, ita optimis quibusque hominibus obversata sunt, evolare didicit. Quid? haec Socratis colloquia nonne Atheniensibus, nonne Graecis omnibus, nonne orbi terrarum utilissima fuerunt? Quid enim habebat orbis terrarum ante Jesum Christum, quod cum Socrate apte conferri potuisset? Concedendum profecto est, potuisse Aristophani Socraticos sermones nonnullis adolescentibus, imprimis iis, quorum iam corrupti erant mores, periculosos videri, si Socratis institutione non vere utebantur, sed suis obsequentes consiliis non virtutem

Socratis, sed artem facultatemque disputandi sectabantur. Verum ob discipulos malos praeceptorem incusare, semper iniustissimum est facinus. Non enim minus verum est, et potuisse adolescentes ad optima quaeque incitari a Socrate et cives utilissimos reddi, et multos vere ad summam et publicae et privatae vitae praestantiam perductos esse.

Idem valet de reliquis criminibus Socrati obiectis. Non enim potest negari eius de diis iudicandi loquendique rationem ab ea, qua aequales utebantur, prorsus diversam fuisse. Non ille repetere potuisset, quae in comoediis Aristophanes proposuit. Nonne vero erat tandem aliquando vetus superstitio impugnanda, quae tenebris omnium mentes usque ad illud tempus obtexerat? Scimus profecto, Xenophonte auctore, Memm. IV, 6, primum de diis rectius sentire Socratem docuisse, et quis nostrum, qui meliora edocti sumus, propterea reprehendere virum summum audeat? Hac profecto in re, si quis nostratium ad Aristophanis partes velit transire, nostrae aetatis prorsus obliviscatur, et tantopere Atheniensium rebus intentus sit, ut de ipsa veritatis praestantia dubitare videatur. Miro modo invertimus omnia, si quae Socratis nomen praeclarissima laude ornarunt, Aristophanis caussa et propter Atheniensium conditionem reprehendere volumus.

Non aliter iudicandum est de dialectica arte, in qua arx quasi Aristophaneae accusationis posita est. Quid enim? nonne ea ars sapientibus omnibus ante Socratem ignota plurimos errores peperit? nonne quum esset patefacta, fons fuit veritatis indagandae? Unde Plato, unde Aristoteles nati sunt? unde tota philosophia veram vim et dignitatem nacta est? nonne omnes a Socrate eiusque in rerum notionibus definiendis arte ac nova argumentorum ducendorum ratione ea repetunt, quae Graeci in philosophia praestiterunt? Fieri potuit, ut quum primum haec Socrates doceret vel ut rectius loquamur, hominibus ostenderet, plures ea arte in perniciem civitatis uterentur. Quid? quod hoc factum esse et Socrates et Plato concesserunt. Sed quid est, quo non abuti liceat? quid, quod pravorum hominum usu et sermone tritum non nocere et calamitatem civibus afferre possit? Si, quae instrumenta veritatis indagandae erant, quibusque Socrates et optimi discipuli eius recte utebantur, ea ab hominibus nefariis commutata esse in nequitiae instrumenta Aristophani credimus et Platoni et Aristoteli, ea in re Socratis culpam cerni, nemo contendere voluerit. Ipsi Athenienses ad hanc sententiam comprobandam nos ducunt, qui Anaxagoram e civitate eiecerunt, ac plures ab finibus suis removerunt illius aetatis sapientes, sed Socrati, licet ab Aristophane accusato, ut ad summam senectutem iisdem studiis obsequeretnr, permiserunt. Nos vero, qui iam quae tempora sequuta sint, longe melius Aristophane perspicimus, quibus quid ex Socratis tota vivendi dicendique ratione natum sit, per multas aetates persequi licet, nos, inquam, qui quae sit veritas, multo accuratius intelligimus,

nos Socrati non possumus crimini ducere, quod orbi terrarum splendidissimum exemplum reliquit, quod qui assequuti sunt, in hominum felicissimorum numero habentur.

De Aristophane autem ita iudicandum esse existimo. Si Antiphanes recte dixit, cf. Athen. VI, p. 222, a.

Μακαριόν ἐστιν ἡ τραγῳδία
ποίημα κατὰ πάντ' εἴ γε πρῶτον οἱ λόγοι –
'Ημῖν δὲ ταῦτ' οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ πάντα δεῖ
εὑρεῖν, ὀνόματα καινὰ τα διῳκημένα
πρότερον, τὰ νῦν περόντα, τὴν καταστροφὴν
τὴν ἐσβολήν cett.

primum quaerendum est, utrum rerum notionem, quae ipsius animo insidebat, bene expresserit inventisque arti ipsius accommodatis, quae imitari voluit, spectantium ante oculos posuerit. Hac autem in parte iam ex iis, quae demonstravimus, elucet, ita eum omnia instituisse, ut a nemine superari posse videatur. Accedit autem, quod Socratis admirator, Plato, qui ipse in dialogis suis artis dramaticae peritiam summam exhibuit, nonnulla suo iudicio comprobavit. Nam si Aristophanes *λόγους* inducit, suam naturam ipsos explicantes, in Theaeteto, p. 173 C. Plato ita loquitur „*πάνυ γὰρ εὖ τοῦτο εἴρηκαν, ὅτι οὐχ ἡμεῖς οἱ ἐν τῷ τοιῷδε χορεύοντες τῶν λόγων ὑπηρέται, ἀλλ' οἱ λόγοι οἱ ἡμέτεροι ὥσπερ οἰκέται, καὶ ἕκαστος αὐτῶν περιμένει ἀποτελεσθῆναι ὅταν ἡμῖν δοκῇ, οὔτε γὰρ δικαστὴς οὔτε θεατής, ὥσπερ ποιηταῖς, ἐπιτιμήσων τε καὶ ἄρξων ἐπιστατεῖ παρ ἡμῖν*“ quibuscum conferenda sunt, quae in Critone, p. 46 B etc. similiter exposuit. In eodem Theaeteto *ἀεροβατεῖν* illud describitur ibidem „*ἡ δὲ διανοια ταῦτα πάντα ἡγησαμένη σμικρὰ καὶ οὐδέν, ἀτιμάσασα πανταχῇ φέρεται, κατὰ Πίνδαρον, τά τε γᾶς ὑπένερθε καὶ τὰ ἐπίπεδα γεωμετροῖσα, οὐρανοῦ τε ὕπερ ἀστρονομοῦσα, καὶ πᾶσαν πάντῃ φύσιν ἐρευνωμένη τῶν ὄντων ἕκαστον ὅλον, εἰς τῶν ἐγγὺς οὐδὲν αὑτὴν συγκαθιεῖσα.*“ Notissimum est praeterea illud, quod de Socrate superbe in plateis incedente ab Alcibiade in Platonis convivio repetitur et probatur. Deinde si ad versus componendos dicendique artem, quibus in rebus vere admirabilem eum fuisse, in concessis est, animum convertimus, virtutis et excellentiae eius hanc fabulam paene praestantissimum omnium, quae aetatem tulerunt, monumentum iure nostro appellabimus. Denique in re ipsa, quam toto in carmine agitavit, si Socratis personam mittimus, atque, quod est comicorum, multa vel nimis exaggerata esse, non magni facimus, de privatae vitae malis, de deorum neglectione, de doctrinae et artis rhetoricae abusu, multa praeclare et ex veritatis lege notavit, quae si Athenienses audire voluissent, magnam inde utilitatem potuissent haurire. Postremo vero de Socrate ita iudicavit, ut se eius sermonum accuratam notitiam habere et totam eius magnitudinem agnoscere ostenderet. Videmus profecto, verissime de Aristophane et de ceteris, qui aderant, Alcibiadem in Convivio dixisse: „*πάντες γὰρ κεκοινω-*

κατὰ τῆς φιλοσόφου τῆσδε μανίας τε καὶ βακχείας“, p. 218. Jam vero si non poterat ille simul cum plurimis aequalibus Socratis doctrinam ipse sequi, sed temporum splendidissimorum urbis memor veterem simplicitatem et inscientiam revocare, quam novam doctrinam nascentem admittere malebat, qua putabat, quae bona reliqua essent, deleri posse: excusandus est poeta, qui ita erat Atheniensium cogitandi sentiendique rationi innutritus, ut eam exuere non posset.

Sed propero ad finem, frater dilectissime. Urbs immortalis ad interitum vergebat; medio in splendore, quo ea non in Graecia solum, sed in magna terrae parte eminebat, calamitatis celeriter irruentis prodebat vestigia. Omnes boni cives, ruinae impendentis qui gnari erant, non sine magno dolore, quid venturum esset divinabant. Morum nulla firmitas; nulla legum constantia; nulla rerum divinarum reverentia, nulla vitae privatae sanctitas. Sed quum plerique qualis esset urbis conditio intelligerent; unde auxilium petendum esset, nesciebant. Multi igitur moliti sunt aliquid; nemo medelam afferre poterat, quae civitati vere subveniret. Vereor, ne recte Andocides dixerit, de pace, §. 33, „*ὡς οὐδεὶς πώποτε τὸν δῆμον τῶν Ἀθηναίων ἐκ τοῦ φανεροῦ πείσας ἔσωσεν, ἀλλὰ δεῖ λαθόντας ἢ ἐξαπατήσαντας αὐτὸν εὖ ποιῆσαι*“. Omnium virorum, quibus Atheniensium felicitas curae fuit, nemo erat Socrate neque innocentior neque ingeniosior. Quidquid ab uno homine praestari potest, hic praestitit, ut cives ad rationem revocaret, scientiae investigationem promoveret, et cum scientia virtutem in urbem introduceret. Sed quum septuaginta annos vitae molestias omnes ultro suscepisset et pertulisset, adolescentibus imprimis permultis sapientiae amorem instillasset, et plurimos homines beneficiis obstrinxisset, a civibus suis interfectus est. Aristophanes contra comicae artis ope urbem vitiis pollutam liberare se posse sperabat, atque ab initio quidem fortiter pugnans videbatur sibi consilium assecuturus esse. Sed spes eius irrita fuit. Qui enim questus erat, Euripide mortuo simul etiam tragoediam ex urbe evanuisse, antiquae comoediae interitum vivus ipse suis oculis vidit. Sed eo ipso, quod a comica arte recte tractata salutem civitatis exspectabat, nonne ille, ut Machiavellus quondam, veneno quasi quodam usus est. Atque illo veneno, nisi fallor, ipse infectus est, ut Socratis virtutem non perspiceret, sed a veritate longe aberraret.

Uterque vivit ac superstes est, Aristophanes tanquam artis comicae exemplum, Socrates praeclara virtutis et sapientiae imago.

Vale, frater dilectissime, meque amare perge.

Schulnachrichten.

A. Allgemeine Lehrverfassung des Gymnasiums.

Oberprima.

Ordinarius der Director.

Latein. Im Winter: Die politischen Oden des Horatius nach der Zeitfolge. Im Sommer: Eine Auswahl derselben nach den Versmaassen. 2 St. In beiden Semestern: Die Kritik der Lateinischen freien Aufsätze. 1 St. Der Director. Im Winter: Tacit. Hist. I. und Agricola; dann Cic. Brutus (Privatlectüre: Tacit. Dial.). Im Sommer: Tacit. Annal. I. (Privatlectüre: Tac. Germ.); dann Cic. de officiis 3 St. In beiden Semestern: Lateinische Stilübungen, besonders aus deutschen Schriftstellern, in Exercitien und Extemporalien. 2 St. Professor Bötticher.

Griechisch. Im Winter: Hom. Ilias, lib. 1 – 8. Im Sommer: Sophocl. Antigone. Der Director. Im Winter: Plat. Phaedo ganz. Im Sommer: Plat. Alcib. I. II. Crito. Meno. 4 St. Prof. Yxem.

Deutsch. Censur der Aufsätze. Uebungen im mündlichen Vortrage. Geschichte der deutschen Nationalliteratur: Wiederholung des Gesammtüberblicks und Specialgeschichte von 1798 – 1830. 2 St. Prof. Yxem.

Hebräisch. In beiden Semestern: Psalm 20 – 50. Exercitien und Commentare über verschiedene Psalmen wurden als häusliche Arbeiten geliefert. 2 St. Prof. Dr. Uhlemann.

Französisch. Ségur, histoire de Napoléon et de la grande armée, vom 4ten Capitel des 10ten Buches bis zum 4ten Capitel des 12ten Buches. Exercitien und Extemporalien. 2 St. Prof. Heydemann.

Religion. Im Winter: Die Lehre vom Reiche Gottes. Im Sommer: Die Augsburgische Confession, gelesen und erläutert nach der Ausgabe von Twesten 1844.

Geschichte. Allgemeine Geschichte vom Beginn des Mittelalters bis zum Beginn

der neueren Zeit. 2 St.; Geschichte der neueren Zeit vom Jahre 1789 bis zur Kaiserherrschaft Napoleons. 1 St. Prof. Heydemann.

Mathematik. Im Winter: Die Stereometrie. Die Theorie der Reihen. 4 St. Im Sommer: Die Elemente der Kegelschnitte. Mathematische Uebungen. 4 St. Prof. Schellbach.

Physik. Im Winter: Optik. Im Sommer: Mechanik fester Körper und Akustik. 2 St. Prof. Schellbach.

Philosophische Propädeutik. Logik nach Trendelenburgs Leitfaden. 1 St. Prof. Yxem.

Unterprima.

Ordinarius Professor Yxem.

Latein. In beiden Semestern: Sallusts Bellum Iugurth. ganz, Cic. Verrin. mit Auswahl. 3 St. Censur lateinischer Aufsätze, Exercitia und Extemporalia, auch Uebungen in schriftlichen Uebersetzungen aus dem Griechischen, mit besonderer Berücksichtigung der Syntax und Synonymik. Auswendiglernen auserlesener Abschnitte aus Cicero's Schriften, 3 St. Prof. Bötticher. In beiden Halbjahren: Horat. carmm. lib. I. II. mit Auswahl, dazu einige Sermonen und aus den Episteln solche Stellen, welche für die Lebensgeschichte des Dichters von Wichtigkeit sind. Viele von den gelesenen und erklärten Gedichten wurden auswendig gelernt. 2 St. Prof. Bresemer.

Griechisch. Im Winter: Demosth. Philipp I. Olynth I. II. III. Im Sommer: Plut. Vit. Demosth. 3 St. Corn. Nep. Milt. Them. Arist. Paus., ins Griechische übersetzt. 1 St. Prof. Yxem. Im Winter: Hom. Ilias IV—VII.; im Sommer: Ilias VIII—XII. 2 St. Prof. Bötticher.

Deutsch. Censur der Aufsätze. Uebungen im mündlichen Vortrage. Geschichte der deutschen Nationalliteratur, überwiegend Wiederholung und kurze Uebersicht bis 1757. 3 St. Prof. Yxem.

Hebräisch. Mit Oberprima vereinigt.

Französisch. Wie Oberprima. Prof. Heydemann.

Religion. Im Winter: Einleitung in die Schriften des alten Testamentes. Im Sommer: Einleitung in die neutestamentlichen Schriften. 2 St. Prof. Dr. Uhlemann.

Geschichte. Wie Oberprima. Prof. Heydemann.

Mathematik. Im Winter: Stereometrie. Theorie der Reihen. 4 St. Im Sommer: Sphärische Trigonometrie. Mathematische Uebungen. 4 St. Prof. Schellbach.

Physik. Im Winter: Optik. Im Sommer: Mechanik fester Körper und Akustik. 2 St. Prof. Schellbach.

Obersecunda.

Ordinarius Professor Bresemer.

Latein. In beiden Halbjahren: Cic. or. pro T. Annio Milone, orr. in L. Catilinam I—IV.; Livii lib. I. Rhetor. ad Herennium lib. I. und II. mit Auswahl. 4 St. Wiederholung

einzelner Abschnitte der Grammatik, Stilübungen in Exercitien, Extemporalien, Lernen mustergültiger Stellen aus Cicero, Anfertigung einzelner freier lateinischer Aufsätze. 3 St. Prof. Bresemer. Im Winter: Virg. Aen. VI.; im Sommer: Aen. I. 440 bis zum Ende des zweiten Buches. 2 St. Prof. Bötticher.

Griechisch. In beiden Halbjahren: Hom. Odyss. lib. I — X.; die schönsten Stellen wurden gelernt. Arriani exped. Alex. lib. V. und VI. c. 1—18. 4 St. Wiederholung des ganzen etymologischen Theiles der Grammatik, besonders der Lehre vom Verbum, Einübung der Regeln vom Gebrauche der Präpositionen, der Casus, der Genera Verbi in Exercitien und Extemporalien, so wie der Hauptregeln über den Gebrauch der Modi bei Homer durch Sammlung der gelesenen Beispiele. 2 St Prof. Bresemer.

Deutsch. Im Winter: Deutsche Aufsätze; Declamationen und Uebungen im freien Vortrag. 2 St. Prof. Heydemann.

Hebräisch. In beiden Semestern: Das Buch Josuah nebst Repetition der unregelmässigen Zeitwörter. Als häusliche Arbeiten leichtere Exercitien. 2 St. Prof. Dr. Uhlemann.

Französisch. Ausgewählte Abschnitte aus dem Lesebuche von Herrmann und Büchner (prosaischer Theil). Exercitien. 2 St. Prof. Heydemann.

